IACOBI SIMANCAE PACENSIS EPISCOPI,

ENCHIRIDION IVDICVM VIOLATÆ RELIGIONIS, AD extirpandas hæreſes, theoricen & praxim ſumma breuitate complectens:

Opus admodum vtile, non ſolùm iudicibus ipſis, aſſeſſoribus & conſultoribus: ſed etiam accuſatoribus, atq; adeò reorum procuratoribus & aduocatis.

Cui acceſſerunt eiuſdem auctoris opuſcula duo:
Vnum, Annotationum in Zanchinum;
Alterum, De dignitate Epiſcopali.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Prototypographi Regij.
M. D. LXXIII.

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE ROMA

Bibliothecæ Domus Romanæ Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

SANCTISSIMO
D. N. PAPÆ PIO V.
IACOBVS SIMANCAS PACENSIS EPISCOPVS.

DECIMVS *ſeptimus iam agitur annus, Beatiſsime Pater, ex quo librum de Catholicis inſtitutionibus, aduerſus hæreticos edidi, quem Hiſpanis meis non fuiſſe inutilem cùm certò ſcirem, additis præterea multis, eum vſque adeò auxi, vt non facile perlegi, aut in manibus geſtari queat. Cùm autem voluntate tua in vrbem tandem perueniſſem, atque à te humanitate*

*magna exceptus eſſem, tuamq́
religionem ac pietatē ſummam
perſpexiſſem: non potui ſingula-
ri quadam obſeruantia tibi non
eſſe impenſè addictus. quod vt
teſtatū relinquerem, ex magno
illo meo inſtitutionum volu-
mine, opuſculum conficere inſti-
tui: quo ea potiſſimum ſelecta
colligerem, quæ iudicibus viola-
tæ religionis in promptu habere
ſit opus. id verò munuſculum
animo libentiſſimo tibi offero:
qui etſi plurimis, maximíſque
negotijs vehementer ſis occupa-
tus, tribunali tamen ſacroſan-
cto, in quo impiorum cauſæ tra-
ctantur, ſummo religionis ar-
dore*

dore præeſſe nunquam deſiſtis. quòd ſi quam fortè vtilitatem libellus hic noſter allaturus ſit, eam tibi omnem acceptam referri oportet: cuius gratia meditatus, atque elaboratus eſt. Ego verò cùm officio meo aliqua ex parte ſatisfecerim, non dubito, quin meum in te colendum propenſiſsimum animum, quàm tenue munus magis reſpecturus ſis. Deus Optimus Maximus te incolumem quàm diutiſsimè ſeruet, vt (quòd ſemper facis) in melius ordines omnia.

ELENCHVS TITVLORVM.

A

Abiuratione. Tit. 53
Abſentibus. tit. 45
Abſolutione. tit. 51
Accuſatione. tit. 33
Aduocatis. tit. 42
Apoſtatis. tit. 4
Appellationibus. tit. 65

B.

Blaſphemis. tit. 9
Bonis hæreticorum. tit. 56

C.

Carcere perpetuo. Tit. 57
Comprehendendis reis. tit. 25
Confeſsis. tit. 29
Contumacibus. tit. 46
Credentibus. tit. 13
Cuſtodia reorum, tit. 26

D.

Defenſionibus. tit. 47
Defenſoribus. tit. 14
Denuntiatione. tit. 23
Diſputatione. tit. 32
Dogmatiſtis. tit. 59

E.

Effractoribus imaginum. tit. 10

Epiſco-

Epiſcopis. tit. 6
Errore. tit. 48
Excommunicatione. tit. 55

F.

Falſis teſtibus. tit. 38
Fautoribus. tit. 15
Filijs hæreticorum. tit. 63

H.

Hæreſi. tit. 2
Hæreticis. tit. 3
His quæ facere nequeunt inquiſitores. tit. 8

I.

Ignorantia. tit. 49
Impænitentibus. tit. 61
Inquiſitionis ordine. tit. 22
Inquiſitoribus. tit. 7
Interrogationibus. tit. 27
Iudæis. tit. 17
Iudicibus ſecularibus. tit. 66

L.

Lamijs. tit. 11
Libris & ſcriptis. tit. 39

M.

Mahumetanis. tit. 18
Miniſtris inquiſitorum. tit. 19
Minoribus. tit. 44
Monitionibus. tit. 28
Mortuis. tit. 62

N.

Nefarijs nuptijs.	*tit.* 12

P.

Pœnis.	*tit.* 67
Pœnitentibus.	*tit.* 53
Pertinacia.	*tit.* 30
Pertinace inſanabili.	*tit.* 31
Præſumptionibus.	*tit.* 40
Principibus & rerum dominis.	*tit.* 21
Probationibus.	*tit.* 34
Procuratoribus.	*tit.* 43
Promotore fiſcali.	*tit.* 20
Propoſitionum qualitate.	*tit.* 24
Proteſtatione.	*tit.* 50
Punitione impiorum.	*tit.* 1
Purgatione.	*tit.* 54

R.

Receptatoribus.	*tit.* 16
Relapſis.	*tit.* 60
Retractatione teſtium.	*tit.* 36

S.

Schiſmaticis.	*tit.* 5
Sententijs.	*tit.* 64
Suſpitionibus.	*tit.* 41

T.

Teſtibus.	*tit.* 35
Teſtibus ſingularibus.	*tit.* 37
Tormentis.	*tit.* 52

IACO-

IACOBI SIMANCÆ
PACENSIS EPISCOPI
Enchiridion Iudicum violatæ religionis.

De punitione impiorum.

TITVLVS PRIMVS.

HÆRETICOS impios, religionis violatores, ſupplicijs ſeueriſſimis afficiendos eſſe, nemo qui ſani ſit iudicij, dubitare poteſt. Nam vt quidam rectè inquit, hæreſeos crimen & pernicioſum virus ſpargit, & eccleſiam non minus diſſipat, quàm politiam: quamobrem ethnici etiam variis pœnis eos coercebant, quos impios eſſe putabant. 1.

Sic eos, qui Deorum prouiden- 2.

dentiam negabant, impietatis dam-nabat antiquitas, vt libro De ſu-perſtitione, Plutarchus eſt auctor.

3 Sic Anaxagoras dicens: Solis cir-culum eſſe lapidem ignitum, morte ab Athenienſibus iudicibus eſt pu-nitus. Diagoræ quoque, ſacrificia & ſacramenta cauillanti, ſacrarum legum præſides adeò ſuccenſuerũt, vt occidẽtibus ipſum talentum ar-genti decernerent, ſicuti diuus Cy-rillus lib. 6. contra Iulianum me-moriæ prodidit.

4 Sic in cauſa violatæ religionis li-cebat Athenis abducere in carce-rem, accuſare publicè, cauſam apud Eumolpidas agere, proponere apud regem, vt proditũ eſt à Demoſthe-ne oratione aduerſus Androtio-nem. & in Areopago publicum, & capitale iudicium exercebatur pro-pter nouam religionem; & ad eam ductus fuit Paulus Apoſtolus, tan-

quam

quam reus doctrinæ nouæ.

In omni denique religione impij 5
non ſolùm vita cruciati, atque de-
decore, verùm etiam ſepultura, &
iuſtis exequiis caruerunt, quemad-
modum Cicero ſcripſit libro ſecũ-
do De legibus.

Sed omiſſis gentium legibus, & 6
exemplis: in veteri quidem Teſta-
mento, idolatræ, & qui ſeducere ac
perſuadere volebãt, vt alienos deos
ſequerentur, lapidibus obruti, a-
liiſque modis interficiebãtur. quin
etiam, vt ait Philo libro primo De
monarchia, permiſſum erat cuiuis
bene nato, educatoque, & maiorũ
virtutis æmulo, à talibus ſine mora
pœnas ſua manu exigere, non ſpe-
ctato aſſenſu ſenatus, & iudicum,
imo ne delato quidem nomine, &
ſequi animi amantis Deum, infe-
ſtique vitiis impetum concitati ad-
uerſus impios, nulla dignos cle-
mentia.

mentia, ſemel accepta poteſtate ſenatus, iudicum, prætorum, tribunorum, accuſatorũ teſtium legum, populi, vt abſque omnibus impedimentis intrepidè pro pietate decertare liceat. Deut. 13. & capitulo decimoſeptimo Num. 25.

7 Hæreſes verò idola ſunt, & dij alieni. Nam vt beatus Hieronymus, explicans illud Zachariæ: *Diſperdam nomina idolorum de terra*, inquit: ſicut idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum peruerſa doctrina quodcunque ſimulauerit, vertit in dolũ, & facit pro Chriſto adorari antichriſtum. Diuus quoque Auguſtinus lib. De vera religione: Eſt alius deterior, & inferior cultus ſimulachrorum, quo phantaſmata ſua colunt, & quicquid animo errante cũ ſuperbia, & tumore cogitãdo imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant. & Vincentius Lirinenſis

aliena

aliena ab eccleſia dogmata vetus Teſtamentum deos alienos appellare ſcribit. hæretici ergo tanquam idolatrę, ac deorum alienorum cultores puniendi ſunt.

8 Nec vnum tantum, aut alterum impium, ſed totá etiam ciuitatem coercere lex iubet: *Percuties*, inquit, *habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaque quæ in illa ſunt, vſq; ad pecora. Et* Iudas ille Machabæus *perambulabat ciuitates Iudæ, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Iſrael.* Deut. 13. libr. 1. Machab. cap. 3. cap. Si audieris. 23. quæſt. 5.

9 Venio nunc ad nouum Teſtamentũ. Saluator noſter apud Ioannem cap. 15. inquit: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eũ, & in ignem mittent, & ardet.* hæretici autem ſunt palmites in vite nõ manentes, qui mitti ſolent in ignem. & alibi ait:

ait: *Væ homini illi per quem ſcandalum venit, expedit enim ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris*: ſed certè mortaliũ nemo eſt, à quo tam graue ſcandalũ eccleſiæ veniat, quàm ab hæretico. Deinde omnia Dei Chriſti verba, quibus hæretici nominantur lupi rapaces, planè indicare videntur eos occidendos eſſe. quis enim lupos ouili Chriſti inſidiantes non interficiat? Et Paulus Apoſtolus pſeudoprophetam cęcitate percuſſit, quia ſubuertebat vias Domini rectas, & proconſulem à recta fide conabatur auertere: & alibi punitionem hæreticorũ idem Apoſtolus deſiderabat, inquiens: *Vtinam abſcindantur qui vos conturbant.* Matth. 18. Act. 13. ad Galat. 5.

10 Hæc fortaſſe prolixius retuli, quia hæretici aiunt, hæreticos non eſſe puniendos: in quo quidem per-

inde

inde facere mihi videntur, ac ſi fures, ſicarij, adulteri, & cæteri facinoroſi dicerent, furta, homicidia, adulteria, & id genus crimina, impunita eſſe debere. Nam hæreſis crimen his grauius, & peſtilentius eſt: videamus tamen quibus argumentis inſanum hoc paradoxum probare conentur. Duo quidem proferre dicuntur. Vnum, fidem eſſe rem liberam: Alterum, parabolam zizaniorum. hæc ſunt egregia eorum argumenta, quibus tueri ſe vellent.

Neminem eſſe cogendum ad no- 11
uam aliquam religionem ſuſcipiẽdam, qua nunquam obſtrictus ſit, verum eſt: ſed compelli quempiam non poſſe, vt in ea religione perſiſtat, qua ſemel fuerit obſtrictus: id verò abſurdum, & ridiculum eſt, ne dicam temerarium, & inſanum: iure enim diuino, gentium & ciuili,

Deo

Deo reddenda ſunt vota, & fides ſeruãda, & religionis deſertores puniendi. capitul. diſplicet, cum ſequent. capit. vides. 23. quæſt. 6. cap. de Iudæis. 45. diſtinct. l. ſicut ab initio. c. de action. & obligat.

12 Parabola verò de zizaniis, minimè obſtat: quia ea locum habet, quãdo eſt periculum, ne ſimul eradicetur triticũ, vt ſatis ex ea liquet, ac diuus Auguſtinus, aliique rectè obſeruarunt. Ad hęc zizania etiam ſunt omnes filij nequã: nullus igitur facinoroſus puniendus eſſet. Deinde illa non eſt lex, ſed prophetia, & nihilominus in ea reprehenduntur ij, qui dormientes ſinunt creſcere zizania. Poſtremò, non loquitur parabola cum iudicibus, qui non ſine cauſa gladium portant, quemadmodum tradit Politus lib. quo iure puniendi ſint hæretici.

13 Ergo coercẽdi hæretici ſunt plus quàm

quàm adulteri: quia peius eſt adulterium animæ, quàm corporis. Atteſtatur mihi diuus Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium, dicens: Cur enim cùm datum ſit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur: an fidem non ſeruare leuius eſt, animam Deo, quàm fœminam viro? Diuus quoque Maximus inquit: Grauius eſt religionis adulterum eſſe quàm corporis: & plus eſt integritatem diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis violare, homil. 2. de dño accuſato. Aug. epiſtola 50.

Deinde ſeuerius quàm ſicarij puniendi ſunt hæretici, quia ſuas, & aliorum animas veneno peſtiferi dogmatis morte infeliciſſima occidunt. Nam vt beatus Hieronymus in cap. Iob 24. inquit, Hæreticus homicida eſt, qui animas ho- 14

minum noxiis, & lethalibus ſenſibus interficit. Et diuus Auguſtinus: Videte qualia faciunt, & qualia patiuntur: occidunt animas, affliguntur in corpore, ſempiternas mortes faciunt, & tēporales ſe perpeti conqueruntur. cap. quando. 23. quæſt. 4.

15 Et vt alia multa omittam, quæ in Catholicis meis inſtitutionibus prolixiùs in hâc ſententiam collegi, hoc præterire nō poſſum quod beatus Auguſtinus inquit: phreneticos ligandos, & corripiendos eſſe, ne præcipitentur; & qui ſomno lethargico tenentur, etiam flagellis excitandos: & quod pro hæreticis ſunt leges pœnales, quæ illis videntur aduerſæ, quoniam multi per illas correcti ſunt, & quotidie corriguntur: epiſtola quadrageſima octaua, & epiſtola quinquageſima.

16 Ad extremū experientia quidem rerum magiſtra docet, nihil æquè

valere

valere ad extirpandas hęreſes, atque ſeueram hæreticorum punitionem. cuius rei teſtis in primis eſt religioſiſſima Hiſpania, cuius plebs inquieta, auidaque eſt in nouas res, vt ait Liuius, & quæ pſeudochriſtianis innumerabilibus malo genere natis abundat: & tamen hoc præſenti remedio in ſumma tranquillitate permanet, atque catholicam fidem puram, & inuiolatam ſeruat. eſt quidem Hiſpanorum pietas & zęlus ardens, noſtræ genti propemodum ſingularis, ac præ aliis ferè omnibus orbis totius nationibus eximius, vt verè Lindanus inquit, in Apologetico, tomo 2.

De hæreſi. TIT. II.

1 IAM verò de violatoribus religionis breuiter diſſeramus. cùm autem plurimi eorum hæretici ſint,

& ij quidem ab hæreſi, eo nomine nuncupentur, in primis, quid ſit hæreſis, videamus.

2 Hæreſis Græca vox eſt, Latinè ſectam ſonat, olim ſæpe in bonam partem accepta: hodie verò nomen odioſum eſt, & apud vulgus infame. Significat hæreſis hodie de aliquo dogmate impio firmatam opinionem, in qua homo tenaciter perſiſtit: vnde hæretici dicti: quo nomine ſignificantur, qui contra Chriſti fidem, aut illius eccleſiam, vel docent, vel credunt. Dicitur autem hæreſis ab electione, quia ſcilicet eam ſibi quiſq. diſciplinam elegit, quam putat eſſe meliorem. c.hæreſis.24.quæſt.3.

3 Hæreſum opera ſunt adulteræ doctrinæ, hæreſes dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur: ideo Apo-

ſtolus,

ſtolus, & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur ſibi eligit, nobis verò nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit: Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam, fideliter nationibus adſignauerunt. itaq; etiam ſi angelus de cælis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis. hæc Tertullianus libr. De præſcriptionibus aduerſus hæreticos.

Sed quamuis hæreſis ab electione 4
dicatur, non tamen hæreſis electio eſt, nec ideo minus hæreticus erit, qui ſine iuſta electione adhæret errori: nec enim requiritur recta electio, vt eligens hæreticus ſit, alioqui nullus hæreticus eſſet. nemo enim bene eligẽs hæreticus fiet, ſed

BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE

ſi quando hæretici eligũt, eorũ electio excæcata, corrupta, & abominabilis eſt: procedit enim ex voluntate praua, & cæca, quæ ſæpè trahit ad ſe iudicium rationis, & mutat intellectũ ex iudicio vero in falſum, atque peruerſum; iudicat quidem ſæpè intellectus iuxta voluntatis, & vehementis affectionis imperium, Alfonſus Caſtrus lib. 3. de iuſta hæret. punit. cap. 1.

5 Eſt verò hæreſis error pertinax contra catholicam veritatem.

6 Tria enim concurrunt ad conſummatam hæreſim: falſa credulitas: error contra fidem catholicam, & pertinacia: quorum ſi aliquid deſit, hæreſis conſummata nõ erit. c. in quibus. 22. quęſt. 2. Tho. ſecunda 2. quæſt. 11.

7 Hæreſum cauſæ plurimæ ſunt: malum enim multis fit modis, boni, ac veri vnica eſt via: mali & falſi innu-

innumerabiles, videlicet, quotquot ab illa vnica aberrant; bonum ex vna, integraque cauſa exiſtit: malũ autẽ ex multis ſingularibusq; defectibus, vt inquit ſacer Dionyſius (lib. De diuinis nominibus cap. 4. Ariſtoteles lib. 2. Ethic. cap. 6.) ſed non admodum refert, ex qua cauſa quis inſaniat.

Diuus Auguſtinus in Ioannem 8
tractatu decimo quinto, inquit: Hęreſes orthodoxis ſunt, dogmata peruerſitatis, animas illaqueantia, & in profundum præcipitantia. & Epiphanius lib. qui Ancoratus inſcribitur. Deterior eſt fidei peruerſitas infidelitate, incredulitas enim fidem accipiẽs corrigi poterit: fidei verò peruerſitas incorrigibilis eſt, & ægrè ſaluatur, niſi donum, & gratia aliqua ex ſupernis acceſſerit.

1 Beatvs Cyprianus, tractatu De ſimplicitate prælatorum, inquit: Videns inimicus idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas, ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos: hæreſes inuenit, & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. ac diuus Auguſtinus lib. 13. De ciuitate Dei, cap. 51. eadem ferè renouans, inquit: Videns diabolus templa dæmonum deſeri, hæreticos mouit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ.

2 Eſt verò hæreticus, qui errat in fide pertinaciter. tria itaque neceſſaria ſunt, vt quiſpiam propriè dicatur hæreticus: Vnum, quòd fuerit Chriſtianus; alterum, quòd erret in fi-

in fide catholica ; tertium , quòd ſciens erret,eligens errorem contrarium catholicæ veritati : & in ea electione includitur pertinacia , vt alibi dixero. cap. dixit Apoſtolus, vigeſima quarta,quæſt.tertia. Turre cremata lib. quarto De eccleſia, parte ſecunda, cap.vigeſimo tertio.

3 Beatus Auguſtinus lib. quæſtionum ex Matthæo, cap.11. Inter hæreticos , inquit , & malos Catholicos,hoc intereſt, quòd hæretici falſa credunt , illi autem vera credentes, non viuunt ita, vt credunt.

4 Nec mouere quempiam debet, ſi viderit fortè hæreticum trãſfiguratum in Apoſtolum Chriſti: Nam rectè Origenes homilia ſeptima in Ezechielem , inquit: Iuxta mei animi ſenſum , multò nocentior eſt hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina ſua habet auctoritatis eo,qui vitam conuerſatione maculat. qui

enim vitæ peſſimæ eſt, non facilè homines ad falſum dogma ſollicitat: nec poteſt per vmbram ſanctitatis audientium decipere ſimplicitatem: qui verò ſermone peruerſus eſt, & diſciplinis ſalutis contrarius, mores autẽ cõpoſitos, & ornatos habet: nihil facit aliud, niſi accipit indumenta varia inſtituti boni, & cõuerſationis quietæ, & circũdat ea idolis ſuis, vt magis decipiat audientes, quod beatus Bernardus cõfirmat ſuper Cantica ſermone 66.

5 Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Galatas, cap. 1. *Sed licet aut nos*, inquit, *aut angelus de cælo euangelizet vobis præterquã quod euangelizauimus, anathema ſit*. quæ verba enarrans Vincentius Lirinenſis lib. Aduerſus hæreſes, ita ſcribit: Quid eſt, quod ait, ſed licet nos? Cur non potius, ſed licet ego: hoc eſt, etiamſi Petrus, etiamſi Andreas, etiamſi Ioannes,

nes, poſtremò etiamſi omnis Apoſtolorum chorus euangelizet vobis præterquã quod euangelizauimus, anathema ſit.

& mox:

Tremenda diſtrictio propter aſ- 6
ſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris coapoſtolis pepercíſſe, parum eſt: *etiamſi angelus*, inquit, *de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema ſit*. ſuffecerat ad cuſtodiam traditæ ſemel fidei humanæ conditionis commemoraſſe naturam, niſi angelicam quoque excellẽtiam cõprehendiſſet, non quia ſancti, cęleſteſque angeli peccare iam poſſint, ſed hoc eſt, quod dicit, ſi etiam fiat, quod non poteſt fieri. quiſquis ille traditam ſemel fidem mutare tentauerit, anathema ſit.

De Apo-

De Apoſtatis. TIT. IIII.

1 APOSTASIA Græca vox, Latinè defectio eſt : cæterùm non quælibet defectio apoſtaſia vocari ſolet, ſed ea, qua quis diſcedit ab inſtituto: hîc verò de apoſtata duntaxat loquimur, qui deſertor eſt Catholicæ fidei.

2 Apoſtata qui diſcedit à tota fide, deterior eſt cunctis hæreticis.

3 Quamobrem quidā putant apoſtatam pœnitentem recipiendum non eſſe, quorum opinio, & iure pontificio damnata, & à ſacris tribunalibus exploſa eſt: & eiſdē ferè regulis eorū cauſæ metiendæ ſunt, quibus & hæreticorum, c. quidam de apoſta. c. contra Chriſtianos, de hæretic. lib. 6.

De Schiſmaticis. TIT. V.

1 SCHISMA quoq; nomen Grecum, Latinè ſciſſuram ſignificat: & non

& non qualemcunque, ſed illicitam diſceſſionem ab eccleſiæ vnitate, vulgò autem Schiſmatici dicuntur, qui ab obedientia ſummi pontificis ſe ipſos ſeparant, atque adeò ab vnitate eccleſiæ diſcedunt. c. ſchiſma. 24. quæſt. 1.

Schiſmatici auté in triplici ſunt differentia, quidam ſunt hæretici conſummati, qui non ſolùm diſcedunt à ſummo pontifice, verùm etiam id licere credunt, & qui alias ſibi hæreſes confingunt. Alij ſunt hæreticis affines, qui nullam hæreſim tenent, de quibus diuus Auguſtinus lib. quæſtionum ex Matthęo c. 11. inquit: Solet quæri, ſchiſmatici quid ab hęreticis diſtent, & hoc inueniri, quòd ſchiſmaticos non fides diuerſa faciat, ſed communionis dirupta ſocietas. c. deniq;. 7. q. 1. 2

Sunt & alij qui iuſta ignorantia ducti putant, aliquem eſſe pontificem 3

cem ſummũ, qui rectè non eſt electus, quod tunc euenire ſolet, cùm duo vel plures de pontificatu contendunt, & electio ambigua eſt. Nam etſi credere teneamur ſummum pontificem eſſe Chriſti vicarium, non tamen tenemur eadem fide credere, hunc vel illum eſſe Papam, quando magna probabilitate dubitatur, quis eorum rectius electus eſt, nec enim ad fidem catholicam pertinet ea, quæ ex facto dubio pendent. itaque hi omni culpa carere poſſunt, neque verè ſchiſmatici ſunt.

4 Illi autẽ ſchiſmatici, qui nullam hęreſim tenẽt, nihilominus tanquã hæretici puniendi ſunt: quia hoc ſolo, quòd à capite diſcedũt, videntur credere, quòd vnitas eccleſiæ ſcindi poteſt, & quòd ſummo pontifici non eſt parendum, & alia id genus hæretica, & impia, vt rectè dixe-

dixerit Clemens quintus, inueteratum ſchiſma hæreſim eſſe, extrauaga. ad certitudinem de ſentent. excommunicatio. cap. pudenda, cap. ſchiſma. 24. quæſt. 1.

Hinc eſt, quòd ſchiſmatici per- 5
tinaces ipſo iure ſunt excommunicati, & omni dignitate, ac poteſtate priuandi ſunt, bonis etiam publicatis, cap. 2. de ſchiſm. ca. de Liguribus, vigeſima tertia, quæſt. quinta, cap. in nominè. 23. diſtinct. cap. didicimus. 24. q. 1. c. 1. de ſchiſ. lib. 6.

Quòd ſi ad eccleſiæ vnitatem 6
puro corde redierint, benignè excipiendi ſunt, ſchiſmate prius abiurato. cap. clericus vigeſima quarta, quæſt. tertia. cap. quoties. 1. quęſt. 7.

Quale autem crimē ſit ſchiſma, 7
beatus Auguſtinus contra epiſtolam Parmeniani ſatis indicat, inquiens: Sacrilegium ſchiſmatis omnia ſcelera ſupergraditur.

1 Cavsae violatæ religionis à iudicibus eccleſiaſticis tractandæ ſunt, non autem à ſecularibus: quia ſecularis poteſtas non ad ea dirigit, quę pertinent ad vltimum hominis finem, id eſt, ad beatitudinem, quæ cõſiſtit in fruitione diuina, id enim regimen, & miniſterium ſacerdotibus eſt commiſſum, & præcipuè ſummo pontifici Chriſti vicario: ad quem maximè pertinet curare, vt religio inuiolata ſeruetur, & vt quæ illi cõtraria ſunt amoueantur, diuus Ambroſius epiſt. 32. & Sanct. Thom. libr. 1. de regimine princip. cap. 14.

2 Et quia Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, & habent partem huius ſollicitudinis: idcirco ad eos quoque pertinet cognitio earum cauſarum, & ſunt iudices ordinarij contra hæreticos, & cęteros impios.

Quam-

Quamobrem in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, ſic decreuerunt Patres: Si quis Epiſcopus ſuper expurgando de ſua diœceſi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus, cùm id certis indiciis apparuerit, ab epiſcopali officio deponatur, & loco ipſius alter ſubſtituatur idoneus, qui velit & poſſit hæreticam confundere prauitatem. Hæc ibi cap. 3. c. ad abolendam, de hæretic.

Beatus quoq; Hieronymus Theo- 3
philo Epiſcopo epiſtola 68. ſcribit: Super nefaria hæreſi, quòd multam patientiam geris, & putas eccleſiæ viſceribus incubãtes tua poſſe corripi lenitate, multis ſanctis diſplicet, ne dum paucorũ pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robuſtior fiat.

1 CVM Epiſcopi plurimis aliis ſui muneris curis occupati, non omnino ſufficiant ad extirpandos hæreticos: dati ſunt illis adiutores à ſummo pontifice, qui contra hæreticos, aliosque impios inquirant: vnde & nomen inquiſitorum apoſtolicorũ illis impoſitũ eſt. qui quidem Chriſtianæ reipublicæ ſunt non vtiles modò, ſed vt experientia compertũ eſt, admodum neceſſarij.

2 Paulus quartus moriens Cardinalibus conuocatis, inquiſitionis officium, quod ſanctiſſimum appellabat, ex quo vno niti affirmabat apoſtolicæ ſedis auctoritatem, eis commendauit, vt in eius vita Onuphrius eſt auctor.

3 Eligendi ſunt inquiſitores prudentes, docti, catholicæ fidei zelatores, ac denique probi; ſolet enim Deus bonis viris bona ſuggerere conſi-

conſilia, reipublicæ, ac religioni ſalutaria: & vt prudentiores ſint, ætatis eſſe debent non minoris, quàm quadraginta annorum: ea enim ętas ſolidæ doctrinæ atque experientiæ tribuitur. Clem. 2. de hæret.

4 Mirum autẽ videri poteſt, quòd in Epiſcopo, qui ordinarius quoq; inquiſitor eſt, ætas dumtaxat annorum triginta exigitur, in his verò inquiſitoribus apoſtolicis requirantur anni quadraginta. Verùm Epiſcopi à Papa in collegio cardinalium promouentur, ſed inquiſitores creari ſolent, non tã exactè cauſa cognita: ideò maturiores ætate lex eos eſſe voluit, quo intelligant omnes cum ſumma prudentia ea negotia eſſe tractanda. c. cùm in cunctis, de elect. & illic Abbas.

5 Quamuis inquiſitores iudices ſint delegati, in negotiis tamen ſibi commiſſis parum differunt ab or-

dinariis. c. per hoc de hæretic.lib.6.
6 Vnde fit,vt eorum officium non finiatur morte ſummi pontificis, neque inquiſitoris generalis eos delegātis,c.ne aliqui. de hæretic.lib.6.
7 Si quid arduum, vel difficile cōtigerit, quod ad officium inquiſitorum pertineat, id referre debent ad Papam, vel ad inquiſitorem generalem, vt olim referebatur ad Moyſem. Exod.18.
8 Inquiſitores ſine Epiſcopo inquirere, & in ius vocare, & comprehēdere reos poſſunt: eadem facere poteſt Epiſcopus ſine inquiſitore: ſed ſimul conuenire debent ad ſententias ferēdas. Clem.1.§. de hæreticis.
9 Poſſunt etiam vti familiaribus armatis, vt ſeipſos tueantur, & parere inobedientes compellāt. Clem. 2.§. vlt. de hæretic. Ariſt. 7. polit. cap. 8.
10 Poſſunt quoque inuocare auxilium

lium quorumcunque principum, & magiſtratuum.

Et trahere teſtes vltra duas dietas. 11

Et quoſcunque iudices compel- 12
lere, vt ad ſe mittant acta cōtra hæreticos facta. ca. præſidentes. c. vt officium.§.denique. c.vt commiſſi, de hæret. lib. 6. c.cùm Bertoldus de re iudicata.

Poſſunt & inquirere,& ius dicere 13
in qualibet parte prouinciæ ſibi commiſſæ, c.vt officium de hæreti. lib. 6.

Poſſunt punire quoſcunque ſibi 14
reſiſtentes, vel iniuriam inferentes. cap.1.de pœnis lib.6.

Poſſunt vices ſuas aliis commit- 15
tere, ac delegare, ſi modo ſint valetudine,aut alia ex cauſa iuſtè impediti. Clem. 1. ſ. porro. Clem. 2. de hæretic.

Demum procedere poſſunt con- 16
tra quoſcunque apoſtatas, & hære-

ticos cuiuſcunque ordinis, dignitatis, ac conditionis fuerint, nullo priuilegio in hoc negotio illis ſuffragante. c. ſicut. cap. ad abolendã. ſ. vlt. de hæret.

De his quæ facere nequeunt inquiſitores. TIT. VIII.

1 CONTRA Epiſcopos, & ſuperiores prælatos inquirere non poſſunt inquiſitores, neque aduerſus nuntios apoſtolicæ ſedis, niſi Papa id ſpecialiter commiſerit. c. inquiſitores de hæret. lib. 6. extrauag. cùm Matthæus eodem titulo.

2 Poterunt nihilominus teſtes examinare, vt ad ſedem apoſtolicam illorum crimina referant: nec enim alio modo melius ſcire, & inuenire poſſunt eos eſſe hæreticos, vel ſuſpectos, vt id Papæ ſignificét: quod prædictis conſtitutionibus permiſſum eſt.

Adde

Adde quod id ipſum facere licet ; aliis iudicibus contra quoſlibet exemptos à ſua iuriſdictione. l. 1. c. de exhib. reis. l. Diuus. ff. de cūſto. reo. l. 3. de re milita. l. ne quid. de incen. rui. naufra.

Ad hæc, inquiſitores ſine epi- 4
ſcopo ordinario reos torquere nequeunt, neque ſententias proferre. clem. 1. §. duro, de hæret.

Nec poſſunt pecuniam extor- 5
quere ratione harum cauſarū: quòd ſi ſecus fecerint, in excommunicationem incurrūt, & officiis priuandi ſunt. clem. 1. ʃ. verum. & clem. 2. de hæret.

Neque contra vſurarios inqui- 6
rere poſſunt, niſi fortè illi credant licitas vſuras eſſe. c. accuſatus. §. de quęſtionibus, de hęret. lib. 6. clem. 1. ʃ. vlt. de vſuris.

Neque in ſortilegos perquirere 7
queunt, niſi ſortilegia hæreſim ſa-

parent manifeſtè: videlicet, cùm admiſceretur aliquid impium, & quòd hæreſim præ ſe ferat, vel cùm crederet ſortilegus diuinũ aliquid in ſorte latere, ſicuti Mahumetani prçcipuè piratæ credere videntur. c. accuſatus. §. ſanè. de hæretic. lib.6. cap.1.26.quęſt.5.cap.illud.26. q.2.

8 Neque de diuinationibus inquiſitores cognoſcere debent, niſi manifeſtè ſaperent hęreſim, id eſt, cùm diuinatores ſacris rebus abuterentur, vel dæmonem adorarent, vt eis futura prædiceret: vel pactum cum eo facerent, credentes dæmonem futura pręſcire: ea enim, & alia eiuſdem generis, vel hęretica ſunt, vel hęreſim ſapiunt: & qui talia perpetrant, facilè incidunt in infidelitatem. cap. accuſatus. §. ſane de hæret. libro ſexto Alexand. parte ſecunda, quęſt.184.

9 De leuibus quoque ſuperſtitionibus

nibus cognoſcere non debent inquiſitores, ſed inquirere poſſunt in eos, qui magicas artes exercent, aliaque ſuperſtitioſa faciunt, & credunt, quę manifeſtè ſapiunt hęreſim. Diuus Cyprianus lib. De duplici martyrio: Qui magicis, inquit, artibus vtuntur, tacitè Chriſtum abnegant, dum cum dęmonibus habent fœdus.

Poſtremò, cùm hęreſis error ſit in fidem catholicam, facta etiam horrenda, non ſunt hęreſes: quamobrem de eis cognoſcere nequeunt inquiſitores, niſi manifeſtè ſapiant hęreſim, hoc eſt, cùm facta ipſa prę ſe ferunt hęreſim: vt baptizare imagines, prę ſe fert, quòd ſunt capaces eius ſacramenti. baptizare ſcienter puerum iam baptizatum, præ ſe fert, baptiſma iterum cōferri poſſe: atque id genus alia. gloſſ. & interpretes in cap. accuſatus. ſ. ſanè. de

hęret.lib.6.Oldra.conſi.210. Sylueſter in ſumma, verbo hæreſis ſecundo.

De blaſphemis. TIT. IX.

1 In blaſphemos non ſolent inquiſitores procedere, niſi blaſphemię ſapiant hęreſim: quales multę ſunt, quibus Deo negatur poteſtas, aut ſanctitas ſanctis, aut ſacratiſſimę Virgini magna irrogatur iniuria: tunc enim inquiſitores Hiſpanię blaſphemos ſeueriſſimè punire ſolent, idque iuſtiſſimè.

2 Blaſphemia quidem conuicium eſt, & ſacrilegium contra honorem debitum Deo, & Sanctis eius: itaq; iure puniri poteſt à iudicibus violatę religionis. pœna verò eius pro circunſtantiis verborum, perſonarum, & temporũ conſtituenda eſt: ſolentque impij blaſphemi, ſi viliores ſint, flagellis cędi, & ad remos dam-

damnari: nobiliores autem publica pœnitentia impoſita,in monaſteria detrudi , & pœnis pecuniariis coerceri. c.2. de maled. c. ſi quis per capillum. 22.q.2.c.ſi is qui.23.queſt.4.

De effractoribus imaginum.
TIT. X.

1 ADVERSVS eos, qui crucem, aut ſacras imagines frangunt, conſpurcant, violãt,aut quoquo modo eis manus ſacrilegas afferunt, perquirere poſſunt inquiſitores: quia vehementer ſuſpecti ſunt de hereſi iam olim damnata,& his tẽporibus ab impiis renouata, contra imagines Sanctorũ , & earũ venerationẽ.

2 Puniendi autem ſunt ſacrilegi iſti arbitrio iudicũ, pro criminis qualitate, interdum (vt ait lex) dura , & vltrice ſentẽtia: & propter præſumptionem heresis, inquirent preterea in eos, vt contra vehementer ſuſpectos,

ctos, cap.ſecundo, §.vltimo, de offic. ordin.lib.6.

De lamijs. TIT. XI.

1 LAMIAE ſiue ſtriges appellari ſolent mulieres quædam maleficæ, quę multis nocere ſolent, de quibus dubitari poteſt, an ab inquiſitoribus puniri queant, & cùm dæmones adorent, & fœdus cum eis faciāt, quin etiam cùm fidem catholicam abnegare ſoleant, dubitabile non eſt, quin contra illas inquirere poſſint. & bene faciunt inquiſitores Hiſpaniæ contra eas procedentes: quia vel apoſtatæ ſunt, vel ea perpetrant, quæ manifeſtè ſapiunt hæreſim, vt inquit Syluester libro tertio De ſtrigimagarum, & dęmonum admirandis, cap. primo. addo Ioan. Franciſcum Picum lib. 3. dialogi, ſtrix.

2 Itaque inquiretur in lamias, vt contra

contra hæreticos, aut vehementer ſuſpectos procedi ſolet, quòd ſi propriis confeſſionibus, aut iuſtis probationibus conuictæ fuerint: prout earum culpa expoſtulauerit, ſtatuendum erit. l. reſpiciendum, ff. de pœnis.

Dixerit fortaſſe quiſpiam, illu- 3
ſiones dæmonum eſſe, quas maleficæ iſtæ patiuntur, ac proinde fidem illis non eſſe adhibendam: cui reſpondetur, primò, non ſemper eſſe inſomnia, & illuſiones, ſed interdū re verè ita euenire, vt ab eis narrari ſolet, quemadmodū Turrecremata, Ioannes Maior, Caſtrus, Victoria, ac innumerabiles alij tradunt, quod quidem tot experimentis compertum eſt, vt id negare, inſanire ſit, vt inquit Syluester opere prænotato, lib. 1. cap. 14.

Deinde, pleraque iſtarū facinora 4
perpetrantur à vigilātibus, vt pacta

cum

cum dæmone, infanticidia, & alia damna: in quibus eis debet fides adhiberi, ſicuti aliis reis confitentibus. quinimo contra ſe ipſas credendum eis eſſe videtur, quamuis de his teſtificentur, quæ ſomnoſepultis euenire ſolent: Nam & antea præmeditantur, & ab eis poſtea ratificantur: & in criminibus ratihabitio quoque locum habet, capitul. cùm quis. de ſentent. excommunicatio.libr.ſéxto. cap.teſtamentum. diſtinctio.6.

5 Extat epiſtola decretalis Innocentij octaui, cuius hæc ſunt verba: Non ſine ingenti moleſtia ad noſtrum peruenit auditum, complures vtriuſq; ſexus perſonas, propriæ ſalutis immemores, & à fide catholica deuiantes, cum dæmonibus incubis,& ſuccubis abuti: quapropter, ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum

ſua

ſua venena diffundat, opportunis remediis, prout noſtro incumbit officio, prouidere volentes, ſtatuimus, vt inquiſitores per nos deputati, debitum inquiſitionis officium in huiuſmodi perſonas exequãtur. retulit Xiſtus Senenſis lib. 5. bibliothecæ ſanctę, annotatione 73. cuius, & alterius conſtitutionis, huic ſimilis, Iulij ſecundi meminit Ioannes Franciſcus Picus libro tertio dialogi, ſtrix.

De nefariis nuptiis.
TIT. XII.

CONTRA monachum, qui poſt 1
ſolemnem profeſſionem contraxit matrimonium, ſemper inquiſitores procedere poſſunt: reiecta multorũ opinione diſtinguentium inter occultum, & publicũ matrimonium, eã enim opinio ratione caret, & à nobis iam pridem confutata eſt.

Nam

Nam vtroque caſu eſt monachus vehementer ſuſpectus de hęreſi eorum, qui tales nefarias nuptias verbis, & factis approbarunt.

2 Eorum autem pœna pro qualitate criminis arbitrio iudicum conſtituenda eſt: & infelix monachus à coniunctione fœda ſeparandus, & ad monaſterium trahendus eſt, vt iniunctam pœnitētiam peragat. 2.concilio Turonenſi, canone vndecimo, cap.impudicas. cap.ſi quis ſacro. cap. monacho. cap. & quia. vigeſima quæſt.prima.

3 Contra clericos, qui ordine ſacro ſuſcepto, vxores duxerint, eodem modo ab eiſdem iudicibus inquiri poteſt: & omni officio, & beneficio eccleſiaſtico priuandi, & ab ordine, & miniſterio arcendi, & aliis iuſtis pœnis coercēdi ſunt, capitul. primo de cleri. coniuga. cap. decernimus. cap. presbyter. cap. presbyterum, vige-

vigeſima octaua diſtinct. cap. ſi quis amodo, cum ſequen. 81. diſtinct. ca. diaconus. 27. diſtinct. cap. eos. 32. diſtinct. clem. 1. de cōſangui. & affi. 9. Synodo generali canone 6. concilio 8. Toleta. cano. 7.

Contra conuerſos ex Mahumettanis, qui ſimul duas vxores habēt, iuſtè quoq. inquiri poteſt: quia hoc ipſo vidētur ad ſuam, vel parentum ſectam redire. Pluſculum dubitationis habet, an in alios quoſcunq. crimen hoc perpetrātes perquirere poſſint inquiſitores: quia manifeſta eſt cauſa libidinis, propter quam id faciunt: ſed in Hiſpania iam diu receptum eſt, vt in iſtos quoque inquirant, quaſi malè de ſacramento matrimonij ſentiant, eo impiè abutentes. & hæc multorū opinio fuit in cap. ad abolendam, de hæreti. & in cap. accuſatus, eodem titulo, lib. ſexto, & alibi ſæpè. 4

6 Eos verò conuictos punire ſolẽt pro perſonarum,& criminum qualitate: plebeios flagellis cæſos, ad remos damnant:honeſtiores autem aliis iuſtis pœnis coercent. ſ. item lex Iulia,de adulteriis inſt. de publi. iudi.

De credentibus. TIT. XIII.

1 BEATVS Auguſtinus in Euangelium Ioannis tractatu 120. Quid aliud, inquit, eſt credere, quàm fidem accommodare?

2 Quidam ſunt qui credunt hæreticis: & eorum errores approbant, & hi planè hæretici ſunt. Alij credunt aliquam hæreſim, cuius contrariam veritatẽ explicata fide ſcire non tenebantur: & hi ſi pertinacia careant, hæretici non ſunt. De his loquens diuus Auguſtinus in exordio libri De vtilitate credendi, Credens, inquit, hæreticis, eſt homo imagi-

imaginatione quadam veritatis, ac pietatis illuſus, cap. dixit apoſtolus, vigeſima quarta quæſt. tertia. c. primo. vigeſima nona quæſt. prima. Leo magnus ſermone quarto de epiphania Domini.

Alij credũt hæreticis generaliter, 3
etiamſi ſciuerint eos hæreticos eſſe, & hi quamuis nullam ſpecialẽ hæreſim credant, puniri poſſunt, vt vehementer ſuſpecti: & eo ipſo incidunt in excommunicationis ſententiam, & in alias pœnas iure ſtatutas. cap. excõmunicamus, §. credentes, de hęretic. Paludanus in libro quarto ſent. diſt. decima tertia, quæſt. tertia. Alfonſus Caſtr. libro primo de iuſta hæretici punitio. cap. decimo ſeptimo.

Credens hæreticis cenſeri poteſt, 4
qui ſæpè ad eorum conciones acceſſerit; qui verò ſemel tantum, non videtur eſſe prorſus infectus, ſed

cùm hæc omnia ex coniecturis & circũſtantiis pendeant: recto iudicum arbitrio diiudicanda ſunt. Nam vt inquit diuus Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum: ratio iuſtitiæ nõ tantùm quid factum ſit, verùm etiam quare factum ſit, intuetur, vt ex cauſis ſuis facta pendentia libramento æqualitatis examinet, vide Zanchinum, & Camillum. de hæret. cap. 3.

De defenſoribus. TIT. XIIII.

1 DEFENSORES quoque hæreticorum nõ ſemper in eadem cauſa ſunt, quidam enim defendunt hæreticos, & eorum errores: & hi quidem non ſolùm hæretici ſunt, ſed ipſis hæreticis deteriores, cap. qui aliorum, vigeſima quarta, quæſt. tertia. c. qui cõſentit. vndecima. q. 3.

2 Alij defendunt hæreticos, ignorantes eos hæreticos eſſe, atque hi puniri

puniri non debent ab inquiſitoribus, niſi fortè officium eorum ſua defenſione impediant, cap. accuſatus, ʃ. vlt.de hæret. libro ſexto.

Alij defendunt hæreticos ipſos, 3
& nō eorum errores, ſed nihilominus ſuſpectiſſimi ſunt. Nā hoc ipſo planè oſtendunt, ſibi non omnino diſplicere hoſtes eccleſiæ; & amicus inimici alicuius, ſolet eſſe inimicus illius, iure igitur ab inquiſitoribus puniendi ſunt, cap.excommunicamus, §.credentes, de hæret. Brunus lib.5. de hæreti.cap.15.

Aduocatus qui ſciens defendit 4
hæreticos, & notarius qui conficit illis inſtrumenta, infames ſunt, & punitione digni.

Et qui hæreticos in ſua iuriſdi- 5
ctione defendit, excommunicādus eſt: quòd ſi pertinax fuerit; officiis, dignitatibus, & ſuis etiam bonis priuādus, & in exiliū eſt mittendus,

vt Hiſpanis, & Siculis conſtitutionibus ſancitum eſt.c. ſi aduerſus, de hæret.regia. l.vlt.tit.vigeſimo ſexto parte ſeptima, conſt.Siciliȩ ſecūda.

De fautoribus. TIT. XV.

1 FAVTORES hȩreticorū parum à defenſoribus diſtāt: itaque eodem iure vtrique cenſendi ſunt. de his verò illud accipi poteſt, quod libro ſecundo Paralipomenon cap. decimo nono ſcribitur: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, idcirco iram Domini mereris.*

2 Fautores autem ſunt, qui quolibet modo fauent hæreticis, id eſt verbis, vel factis, conſilio, pecunia, vel alia re, Cardinalis Hiſpanus. 2. parte, de eccleſia.lib.4.c.21.

3 Aliter cenſentur fautores ij, qui magiſtratus gerunt, aliter homines priuati. Nam ex omiſſione ſola ma-

giſtra-

giſtratus cenſentur fautores, ſi hæreticos comprehendere noluerunt, cùm id facere poſſent: quia non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare, priuati verò ex omiſſione non tenẽtur, niſi vel ipſi officiales quoque ſint, vel iudicibus in hoc non paruerint, capitulo qui poſt, vigeſima tertia, quæſt. tertia, cap. negligere. ſecunda quæſt. ſeptima, Godofredus in l. quicunque. c. de hæreticis.

De receptatoribus. TIT. XVI.

OCCVLTATORES hæreticorum iure pontificio eadem pœna coercentur, qua fautores, quia recipiunt hæreticos, atque illis fauent, ſed legibus regiis ſeuerius puniuntur, & meritò: nam qui reum occultat, particeps criminis eſſe cenſetur: & ſicuti contra receptatores Plato libro 12. de legibus inquit: 1

Quem ciuitas ſibi hoſtẽ decreuit, eundem ſibi quiſque hoſtem exiſtimare debet. l.1.& 2.ff.de recepta.
2 Multi iuris periti aiunt, receptatorem tanquam hęreticum eſſe puniendum, ſed eorum opinio iure non probatur, nec receptorum omnium æqualis eſt culpa. rectè igitur inquiſitorum arbitrio ſecundũ criminis qualitatem erit & pœnarum modus conſtituendus. Leuit.24.
3 Qui verò hæreticũ recipit ignorans eum hæreticum eſſe, aut vi coactus: quia culpa caret, puniendus non eſt.l.1.c.de deſerto. & occultato.lib.12. l.3.ff.de incen.rui. & naufra..Bart.in l.1.§.vlt.ff. de recepta.
4 Quidam putant incumbere occultatori onus probandi ignorantiam: quorum opinio tunc vera eſt, cùm fuerit cõtra eum præſumptio: vt erit, ſi notum vulgò erat, illum hæreticũ eſſe: vel ex amicitia, conſangui-

ſanguinitate, vel ex aliis circunſtantiis præſumatur occultatoris ſcientia. l. ſed etſi pupillus. §. de quo palam. ff. de inſtito. c. cùm oporteat, de accu. l. ſi vicinis, c. de nup. l. octaui. ff. vnde cognati.

Alioquin præſumitur quiſque 5
aliorũ facta ignorare: & qui ſcientiam allegat, illam probare debet: atque eo magis in hæreſi, quæ occulta eſſe ſolet, aut momento proferri, & verba emiſſa cito volant, & ad paucorum aures perueniunt, & in dubio crimen præſumendũ non eſt. l. verius. ff. de probat. l. merito. ff. pro ſocio.

. Non ſunt prorſus innocẽtes, qui 6
conſanguineos hæreticos, ſcientes occultãt: nulla enim cognatio præferẽda eſt religioni. c. legi. 23. quæſt. 8. c. ſi infidelis. 28. quæſt. 1. glo. in dict. §. credentes.

Verumtamen, quia nihil huma- 7

num alienum à nobis eſſe debet: & quia lex ipſa inquit, non eſſe par eorum delictum, & illorum, qui nihil ad ſe pertinentes recipiunt: & quia credendi ſunt occultaſſe, non tanquam hæreticos, ſed vt conſanguineos: hæc eſt enim cauſa naturalis, & honeſtior, multò quidem humaniùs cum illis agendum eſt: pręſertim, ſi filius patrem, vxor maritum, aut frater occultauit fratré. l. vltim. ff. de receptato. l. qui cum vno. §. vlti. de re milita. l. tertia. ff. de tutelis.

De Iudæis. TIT. XVII.

1 ADVERSVS Iudæos inquirere nequeunt vindices hæreticæ prauitatis: tum quia non eſt data illis iuriſdictio contra illos, tum etiã quia de his, qui foris ſunt, nihil ad nos attinet iudicare. 1. Cor. 5. cap. multi. 2. q. 1. c. gaudemus. de diuort.

Nec

Nec audiendi quidam, quorum 2
eſt Oldradus, exiſtimantes eccleſiæ iudices inquirere poſſe contra Iudæos, quando illi errant in vetus Teſtamentum, aut Chriſtianum puerum circuncidũt, aut in Iudaiſmum inducunt. ſed cùm hæretici non ſint, quid noſtra refert, vtrum errent cõtra leges Moyſis, cùm omnimodo foris ſint? aliorũ verò criminum punitio ad ſeculares iudices pertinet: excepto, ſi quid inquiſitoribus eſt commiſſum conſtitutione quadam Nicolai quarti, cuius exemplum extat in directorio inquiſitorum. Oldr. conſil. 36. Brunus lib. 4. de hæret. cap. 2.

Quòd ſi Iudæus Chriſtianã reli- 3
gionẽ profeſſus, vt canis ad vomitũ, ad Iudaicam ſuperſtitionẽ redierit, ab inquiſitoribus, vt alius quiuis apoſtata, vel hęreticus, puniẽdus eſt. c. cõtra Chriſtianos. de hæret. lib. 6.

Eam

4 Eam retributionem Iudæi ſolent impendere, quam mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu, ſuis conſueuerunt hoſpitibus exhibere: ſicut Innocentius tertius ſcripſit. ſolent enim Iudæi vſuris & malis artibus ſpoliare Chriſtianos, & ciuitates inficere. Quamobrẽ à regibus noſtris verè catholicis, iã olim Iudæi ab Hiſpania expulſi ſunt, cuius eiectionis eleganter meminit Ioannes Picus lib. 5. aduerſus aſtrologos. cap. 12.

De Mahumettanis. TIT. XVIII.

1 QVAE de Iudæis dixi, eadẽ ferè omnia de Mahumettanis, Mauris, atque Turcis accipienda ſunt. quòd ſi Chriſtianus aliquis ad iſtorum ſectam beſtialem tranſiſſe conuictus fuerit, vt apoſtata infidelis, ſeueriſſimè puniendus eſt. c. cõtra Chriſtianos, de hæreti. lib. 6.

Tam-

Tametſi autem ex Mahumettanorum progenie innumerabiles ferè in Hiſpania extent, ſacroſancto tamé inquiſitionis officio cũm cæteris hæreticis, & apoſtatis quotidie coercentur, quo nomine ab externis etiam iure laudamur. 2

De miniſtris inquiſitorum.

TIT. XIX.

1 HACTENVS de reis, & criminibus, quorum cognitio ad inquiſitores pertinet, multa curſim, breuiterq́ue perſtrinximus. Cæterùm quia ſoli iudices nihil peragere poſſunt, ſed multis egent miniſtris: idcirco de illis quoq; paucula dixerimus, tum quia ſolis Hiſpaniarum inquiſitoribus plures miniſtri dati ſunt: tum etiam, quia in catholicis noſtris inſtitutionibus plenius de his, aliisq́; omnibus diſputauimus.

2 Scribę ſiue ſecretarij ſunt in primis

mis neceſſarij ad acta omnia ſcribenda: & ad has cauſas, non laici modò, ſed & clerici, & monachi etiam ſacris ordinibus initiati, eligi poſſunt. c. vt officium. §. ad conſcribendas. de hæret. lib. 6.

3 Executores quoque ſiue apparitores omnino ſunt neceſſarij, vt reos comprehendant, & alia inquiſitorum iuſſa exequantur. fruſtra enim exercentur iudicia, niſi ad finē perducantur, vt Ariſtoteles inquit. lib. 6. Politi. c. 8. 1. §. vlti. de ſtatu regula. lib. 6.

4 Aſſeſſoribus præterea opus eſt, qui ſint viri probi, & periti, hi iurare debēt, arcana omnia ſe celaturos: & ſi quid eorū reuelauerint, in ſententiam excōmunicationis incurrunt. c. vt commiſſi. ʃ. aduocandi. c. vlti. de hæreti. lib. 6.

5 Sunt & alij miniſtri inquiſitorū in Hiſpania, videlicet iudex bonorum

rum

rum publicatorum, cuſtos carceris, ianitores, & promotor fiſcalis, de quo mox dicturi ſumus. & hi, cæteriq́ue omnes iurare debent, ſe fideliter officia geſturos, & alia ſeruaturos, quæ iure, & inſtructionibus ſancti officij ſancita ſunt. clem. 1. ſ. de hæreti.

Si quis miniſtrum inquiſitorum 6
iniuria affecerit, percuſſerit, occiderit: puniri poteſt ab inquiſitoribus, & ſi qualitas criminis id poſtulare videatur, ſeculari iudici relinqui poteſt, ſeuera animaduerſione coercendus, quemadmodum Leo decimus conſtituit, & eo iure vtimur. Albertinus li. de ſecret. numero. 64.

De Promotore fiſcali.
TIT. XX.

Cvm omnes quæ ſua ſunt quę- 1
rant, & vix priuatim ſibi quiſque ſufficiat: neceſſe eſt, vt reipublicæ cura

cura nominatim aliquibus committatur: & eò magis in fidei negotiis id pernecesſariū eſt: quia maius periculum verſatur in eis, & non ſunt quibuſlibet permittenda.

2 Itaque vt iudicium ex tribus cōſtet, iudice, accuſatore, & reo: promotore fiſcali opus eſt, viro catholicæ fidei zelatore, iuriſperito, & qui virtute valeat irrumpere impietates. is reos ad iudices deferre, & eos accuſare debet, & fidei cauſas diligenter peragere. c. forum. de verb. ſignifi.

3 Sub officij autē prætextu innocentes vexare non debet, ſed quod ſibi fieri vellet, id aliis facere tenetur, & contra: vt enim Tobias dixit: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Matthæi 7. Tobiæ 4.

De prin-

QVAMVIS inquiſitores iuriſdictionem habeant,& miniſtros,in prouinciis tamen principum laicorum, officium ſuum facere nequeunt, niſi etiam principes auxilientur eis, quamobrem admonēdi ſunt principes ſeculares, vt in hoc auxilium pręſtent:Nam plurimum ſua intereſt: non ſolùm pro temporalibus, ſed multò magis pro rebus æternis. 1

Hæretici quidem rempublicam lædere vehementer ſolent, & principes,qui eos hæreticos eſſe patiuntur, cogitare debent, Deo ſe redditoros rationem. Nam ſiue augeatur pax, & diſciplina eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam permiſit eccleſiam, vt Iſidorus inquit lib. 3. de ſummo bono.c.53. c.principes.23.quæſt.5. 2

3 Leo Magnus ad Leonem Auguſtum ita ſcribit: Debes incunctanter aduertere, regiam poteſtatem tibi, non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus nefarios cõprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta defendas, & verã pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas. hæc ille epiſtola 75.

4 Quòd ſi principes auxiliari noluerint inquiſitoribus, excommunicandi ſunt, & honore priuandi, & poſt annum pertinaciæ ſummus pontifex debet ſubiectos ſoluere ab eorum iuriſdictione, & illorũ prouincias permittere catholicis occupandas. quæ omnia vtinam tam facilè ad effectum perduci poſſent, quàm iuſtè cõſtituta ſunt. c. ad abolẽdam. §. pen. c. excommunicamus. §. moncantur. de hæreti.

5 Præterea prohibitum eſt, ne domini

mini temporales impediant officiũ
ſanctæ inquiſitionis, nec de hæreti-
ca prauitate cognoſcant; ſi ſecus fe-
cerint, vt in ſententiam excommu-
nicationis incurrãt: quòd ſi per an-
num in contumacia perſtiterint, vt
tanquã hęretici conſummati dam-
nentur. cap. vt officium. §. vlti. cap.
vt inquiſitiones. in prin. & §. prohi-
bemus, de hæreti. libro ſexto.

Atque hæc quidem omnia non 6
ſolùm confirmata ſunt legibus re-
giis, ſed maioribus etiã pœnis ſan-
cita. quin etiam nono ab hinc anno
Valdoliti coram omni Hiſpania,
dominus meus Rex Philippus, re-
tecto capite, magna cum religione,
ac reuerẽtia in manibus Ferdinandi
Valdeſij Archiepiſcopi Hiſpalenſis,
generalis inquiſitoris Hiſpaniæ, iu-
rauit, ſe non permiſſurum hęreticos
in ſuis regnis viuere, atque fauorem
ad eorum punitionem inquiſitori-

bus præſtaturum, ſecundum formam iuriſiurandi: quam ego paulò antè confeceram.

7 Extat canon tertius concilij ſexti Toletani, cuius hęc ſunt verba: Sanctum concilium ſimul, & cum conſenſu chriſtianiſſimi principis, ſuorumque optimatum, illuſtriumque virorum, hanc Deo placituram ſententiam promulgauit: Si quis ſuccedétium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non antè conſcendat regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta, pollicitus fuerit, nullum nō catholicum permittere in ſuo regno degere. Si verò poſtquā ad regni gubernacula acceſſerit, ipſe temerator huius extiterit promiſſi, ſit anathema Maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, ſimiliter & omnes, qui cum eo conſenſerint.

Quòd

Quod iuſiurandum religioſiſſi- 8
mi principes, nõ ſolùm inuiolatum ſeruarunt, ſed multa prætereа præclara pietatis exempla indies edere nunquam deſinũt, vt meritò etiam nunc renouare poſſim, quod iam olim Claudianus cecinit:

Quid dignum memorare tuis Hiſpania terris
Vox humana valet? primo lauat æquore ſolem
India: tu feſſos exacta luce iugales
Proluis: inque tuo reſpirant ſydera fluctu.
Diues equis, frugum facilis, precioſa metallis,
Principibus fœcunda piis.

Sed eò vnde digreſſi ſumus, re- 9
uertamur: Si fortè principes in hæreſim lapſi fuerint (quod malum vtinam nunquam eueniſſet) protinus vaſalli, & ſubiecti ab eorũ dominio, & iuriſdictione liberantur,

& à regno quidem ſunt expellendi: ne illis regnantibus ruinæ ſubditorum fiant. itaque meritò Scythæ regem ſuum Scylem occiderunt, propter externos ritus: quia ſacris externis initiatus erat: ſicuti Herodotus in Melopome auctor eſt. cap. vlt. de hæreti.

De inquiſitionis ordine.
TIT. XXII.

1 VBI vindices hæreticæ prauitatis, & iuriſdictionem & miniſtros, & auxilium, atque fauorem habuerint: in primis literas ſuæ iuriſdictionis oſtendere debent iudicibus eccleſiaſticis, & ſecularibus, vt omnibus conſtet, eos iudices legitimos eſſe, cap. cùm in iure. de offi. delega. l. 1. c. de manda. princip.

2 Deinde voce pręconia conuocare debent clerum, & populũ, vt certo die feſto conueniant in maiorem eccle-

eccleſiam, vbi concio habenda eſt: in qua declaretur iuriſdictio inquiſitorum, & quamobrem miſſi fuerint, & vtilitas, ac neceſſitas ſacroſancti huius officij; & cõcione peracta, iurare debẽt omnes, præcipuè iudices ſeculares, quòd auxilium, & fauorem præſtabunt ſanctæ inquiſitioni: quemadmodum Hiſpanis inſtitutionibus pleniùs continetur. cap. vt commiſſi. ʃ. conuocãdi, de hæreti. lib. ſexto, cap. excommunicamus. ʃ. moneantur, eodem titulo.

Ad hęc, vt inquiſitores officium 3
ſuum faciant, inquirere debent in hæreticos, & cæteros impios. quod interdum generaliter, nonnũquam ſpecialiter facere debent. Generaliter autem inquirunt, propoſitis edictis, quibus moneãt, & præcipiant, vt quicunque ſciuerit, vel audierit, aliquos hęreticos eſſe, aut quidpiam

 dictum

dictum eſſe vel factum cõtra legem euãgelicam, vel fidem catholicam: id ſecretò inquiſitoribus indicet, excommunicationis pœna in occultatores impoſita.

4 Hæc autem inquiſitio generalis per totam prouinciam fieri debet, nec ad eam opus eſt, vt antecedat infamia: quia fit iudicis officio ad publicam vtilitatem.

5 Et inquiſitores compellere poſſunt quoſcunque, vt coram ſe, de his criminibus teſtimonium perhibeant. cap. excommunicamus. ſ. adiicimus, & ſ. vlti.de hæreti.

6 Alia verò ſpecialis inquiſitio cõtra certas perſonas fieri non debet, niſi præcedente infamia,quę vicem accuſatoris ſuppleat: alioqui non leuis irrogaretur iniuria homini nõ infamato, ſi contra eum ſpecialiter inquiratur. c.qualiter.de accuſat.

7 Hoc tamen locum non habet,

cùm

cùm extant indicia,& prǽſumptiones vrgentes contra quempiam de hæreſi ſuſpectum, quo caſu nulla ei fit iniuria, ſi ſecretò de indiciis illis, & ſuſpitionibus cautè inquiratur. c.excommunicamus. ſ. adiicimus.de hæreti. & ibi omnes interpretes. c.vt officium.in prin.eodem tit.lib.6. & illic,Domini, & Philip. Fran.

Sed propter famoſos libellos occultè miſſos, vel proiectos, non debent iudices in quemquam inquirere, ne detur improbis anſa quoſcunq; voluerint infamãdi. id quod Innocentius tertius rectè prohibuit, & legibus ciuilibus vetitũ eſt; quin etiã Traianus Plinio reſcripſit: Sine auctore propoſiti libelli nullo in crimine locum habere debẽt: Nam & peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.c.inquiſitionis.ſ.tertij.de accuſa. c. teſtes.3. quæſtio. 9. l.3. cum 8

ſequen. de famo. libellis. c. Theo-
do.

De denuntiatione.

TIT. XXIII.

1 OMNES catholici tenentur indicare iudicibus hæreticos etiã occultos: quia hæreſis pernicioſa eſt vniuerſæ reipublicæ, atque omniũ plurimum intereſt, religionem eſſe inuiolatam, idque legibus diuinis iam olim ſancitum fuit. Deut. 13. & 17.

2 Vnde fortaſſe Plato eam legem accepit, quam libro 10. de legibus, in hæc verba ſcripſit: Si quis verbis aut factis impius fuerit, is qui adeſt, Deos defendat, & ad magiſtratus referat. qui verò primi ex magiſtratibus audierint, ad iudicium, ad hæc iudicanda deſignatum, perducant ſecundum leges. Si verò magiſtratus qui audiuit hæc, non facit, ipſe impietatis reus ſit, ſiquis
legum

legum iniuriam vlciſci volet.

Diuus Chryſoſtomus in Pſal- 3
mum quintum, Hoc, inquit, eſt in primis pij, & ſapientis animi, ſuas quidem nolle vlciſci, ſed Dei iniurias vehementer perſequi. Et homilia 5. operis imperfecti: Diſcamus Chriſti exemplo, noſtras iniurias magnanimiter ſuſtinere: Dei autem iniurias nec vſque ad auditum ſufferre, quoniam in propriis iniuriis eſſe patientem, laudabile eſt: iniurias autem Dei diſſimulare, nimis eſt impium.

Quòd ſi hæreticos accuſare tene- 4
mur, vt ſuo loco dixero, multo magis obligati ſumus eos iudicibus indicare. Leo ille Magnus ſermone 4. de collectis inquit: Manichęos vbicunq; latẽtes veſtris presbyteris publicate: magna eſt enim pietas prodere latebras impiorũ, & ipſum in eis, cui ſeruiunt, diabolũ debellare.

Et

5 Et idem diuus ſermone 4.de ieiunio decimi menſis, Illud quoq; dilectiſſimi, obſecrans moneo, vt ſi cui veſtrũ innotuerit, vbi habitent hæretici, vbi doceant, quos frequẽtent, & in quorum ſocietate requieſcant, noſtræ ſollicitudini fideliter indicetis: quia parum prodeſt vnicuique, quod protegẽte Spiritu ſancto, ab iſtis ipſe non capitur, ſi cùm alios capi intelligit, non mouetur. Contra communes hoſtes pro ſalute communi vna communis debet eſſe vigilantia: ne de alicuius membri vulnere, etiam alia poſſint membra corrumpi; & qui tales non prodendos putant, in iudicio Chriſti inueniantur rei de ſilentio, etiam ſi non contaminentur aſſenſu.

6 Ergo hæretici occulti prodendi ſunt inquiſitoribus, nulla quin etiã fraterna correctione antecedente, nec enim tam directo in nos peccat hære-

hæreticus, quàm in Deum, & ſanctam eccleſiam, nec tam frater catholicorum, quàm hoſtis perniciofiſſimus eſt. Poſtremò, lege charitatis præferenda eſt vera religio famę, ac vitæ impiorũ: vterque Thomas Aquinas & Cayetanus, ſecunda ſecundæ quæſt. trigeſima tertia, artic. 7.

Nemo autem putet, ſua correctione protinus hęreticos poſſe cõuerti: peruerſi etenim difficilè corriguntur, & hæretici ſe eſſe correctos facilè fingunt, & toties deceperũt corripientes, vt meritò Hiſpani doctiſſimi confirment, prætermiſſa correctione fraterna hæreticos eſſe confeſtim inquiſitoribus indicandos. Bernardinus Areualus libro de fraterna correctione, cõcluſione 6. propoſitione 6. Alfonſus à Caſtro libro ſecundo, de iuſta hæreticorũ punit. capitulo vigeſimo quinto, 7

Sotus

Sotus libro de ratione tegendi ſecretum membr. ſecundi, quæſt. 4. & lib.5. de iuſtitia, & iure, quæſt.5. arti. 1. Canus libr.12. de locis theologicis.cap.9.

8 Ad ſummam, hæreticus dogmatiſta, quamuis occultus ſit, protinus eſt iudicibus indicandus, quia nulla ſpes eſt, quòd correctione ſanabitur. Nam vt Apoſtolus ait, *Mali homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes*, atque idipſum legibus Deuteronomij planè ſancitum fuit, cap. 13.& 17. & 1.Tim.3.

9 Eadem dicenda ſunt de hæretico, quē conſtat malitia errare: Nam & is pertinax eſt: & qui contemnit eccleſiæ catholicæ auctoritatē, veriſimile non eſt, quòd priuata correctione reſipiſcet.

10 Si verò probabiliter dubitetur, an ex malitia, vel ex ignorātia erret: in du-

in dubio ad iudices violatæ religionis ea res deferenda eſt. quia in re dubia nõ eſt reſpublica Chriſtiana in diſcrimen adducẽda, & quia lege naturæ præferendum eſt bonum commune bono particulari.

Accedit eodem ratio viua, & ſpi- 11
rans: nam aut errabat ille pura malitia, & tunc rectiſſimè fuerit iudicibus indicatus; aut errabat ignorantia, & iudices vel non comprehendent illum, vel comprehenſum abſoluẽt: & vtroque caſu ſalua erit eius fama, & eò magis, quòd hoc iudicium magna ex parte ſecretum eſt, & occultum.

Ad hæc, aut reus ille non erat 12
bonæ famæ, ac tunc parui refert, ſi ea iuſtè lædatur; aut erat integræ famę, & hoc ipſo magis nocere poſſet reipublicæ, cuius bonum illius exiſtimationi omnimodo præferẽdum eſt.

Eo igi-

13 Eo igitur ſolo caſu priuatim corrigendus eſt is, qui errat in fide catholica, quo planè conſtaret, eum per ignorantiam errare, ac certiſsimum eſſet, quòd profutura ſit correctio, atque id ipſum Dominicus Soto, & Bernardinus Areualus, alijq́ue mecum ſentiunt.

14 Index quem denuntiatorem vocant, aliis teſtibus annumerandus eſt: quia priuatim nihil intereſt eius, hæreticum prodere, niſi publicè, vt vnius è populo Chriſtiano: quo caſu integrum eſt indicis teſtimonium. Abbas.& fili.in c.in omni.de teſti. Alberti. libr. de ſecret. nu. 177.

De propoſitionum qualitate.
TIT. XXIIII.

1 Per inquiſitionem ſiue denuntiationem receptis teſtimoniis, ſi de qualitate propoſitionum ambigatur,

gatur, theologis committendũ eſt, vt ſicut in ea ſcientia periti, ſuam ſententiam de his qualitatibus proferant: & eorum iuratorũ reſponſa ab eis ſubſcripta, inſerenda ſunt actis proceſſus. hi eligendi ſunt pij, conſtantes, ac docti, veritatis amatores. l. ſemel. c. de re milit. lib. 12. cap. vlt. de frigidis, & malef.

Nec alienum erit ab ipſis theologis aliqua mutuari, & hunc in locũ breuiter, atque ſuccinctè transferre. 2
Hæretica propoſitio eſt, quę aduerſatur in aliquo catholicæ fidei, id eſt, ſcripturis diuinis rę́ctè intellectis, vel traditionibus, ac definitionibus eccleſiæ vel conciliis generalibus rectè congregatis, in his, quæ ad fidem pertinent, vel diffinitionibus ſedis apoſtolicæ, vel communi ſententiæ ſanctorum doctorum: quemadmodum in catholicis inſtitutionibus, ſuis in locis luculenter

hac de re de ſingulis diſputauimus.

3 Quidam putant, nō eſſe propoſitionem hęreticam, niſi ab hæretico aſſeratur, atque eadem eſſe neceſſaria, vt propoſitio dicatur hæretica, quæ neceſſaria ſunt, vt homo dicatur hęreticus: itaque aiunt qualitatem propoſitionis hęreticæ, non ex obiecto dūtaxat, ſed ex obiecto ſimul & perſonis æſtimandam eſſe.

4 Quam opinionē perſuadere conantur quinque argumentis. primo, ex concilio Conſtantienſi diſtinguente propoſitiones hæreticas ab erroneis: ſecundo, quia quædam hæreſes dicuntur nouæ, & aliæ veteres; quod non videtur eſſe poſſe, niſi reſpectu aſſerentiū. tertio, quia ab hæreſi denominatur hæreticus, ergo non eſt propoſitio hæretica, niſi aſſerens ſit hæreticus. quarto, quia vbi non eſt pertinacia, non eſt hæreſis, ergo nec propoſitio hæretica-

tica. quinto, quia ſicut non eſt hæreſis ſine errore, & pertinacia, eodẽ modo, nec hæretica propoſitio. hęc ſunt argumẽta fragilia, quibus duo acuti theologi recedunt à ſententia, & vſu communi.

Falluntur tamen confundentes 5
hæreſim, & propoſitionem hæreticam: hæreſis enim eſt error intellectus: propoſitio verò hæretica eſt ipſa enuntiatio falſa catholicæ veritati cõtraria; quo fit vt hęreſis pertineat ad iudiciũ: propoſitio autẽ hæretica pertineat ad apprehẽſionem, itaq; propoſitio hæretica eſt vt materia hæreſis, id eſt, circa quam cõtingit fieri hæreſim, quemadmodũ falſitas eſt formaliter in intellectu, & in iudicio, ſiue notitia iudicatiua, & pertinet ad aſſenſum: propoſitio verò falſa pertinet ad apprehenſionem.

Quamuis autem propoſitio hæ- 6

retica, & homo hæreticus denominentur ab hæreſi, plura tamen requiruntur, vt hæreſis denominet hæreticum hominem, quàm hęreticam propoſitionem. Nam vt denominet hominem hęreticũ, oportet vt in ipſo ſit formaliter in ratione hæreſis, hoc eſt, vt ſit error cum pertinacia: vt verò denominet propoſitionem hæreticam, id non requiritur, ſed ſatis eſt, ipſam propoſitionem eſſe talem, vt ſiquis illi aſſentiatur cum pertinacia, verè incurrat in hæreſim. cuius differentiæ ratio eſt, quia vnaquæque forma debet denominare aliud, ſecundum quod illud eſt capax illius formę: & quia non omnia, quæ denominãtur ab aliqua forma, ſunt eodem modo capacia illius, ideo non omnia requiruntur ad ea æqualiter denominanda.

7 Accedit eodem, quòd vt propoſitio

ſitio ſecundum ſe, dicatur hæretica, ſufficit, vt contraria ſit veritati catholicæ: Nam cùm veritates catholicæ ſint ſimpliciter, & ſecundum ſe de fide catholica, contrariæ propoſitiones ſunt ſimpliciter hæreticæ, & contra fidem, quia contrariorum eadem eſt diſciplina: & quemadmodū propoſitio catholica ſemper eſt catholica ſine reſpectu aſſerentis eam, ſic & eius contradictoria ſemper eſt hæretica à quocunq; dicatur.

Accedit etiam, quòd in defini- 8
tione fidei, in qua eius natura, & eſſentia declaratur, nulla fit mentiò fidelium, ſed reſpicit finem, & materiam, non autem perſonam, vt patet ex diui Pauli definitionē. ergò natura & eſſentia propoſitionis hęreticæ, quæ cū fide pugnat ab vtroque iſtorum, & non ab aſſerente petenda eſt. ad Hebræos 11.

9 Deinde ab eo quod eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; & propter noſtrum affirmare, vel negare nihil ponitur in re, vnde propoſitiones dicuntur verę vel falſæ ſecundum ſe, vbicunque reperiantur. ſed eſſe propoſitionem hæreticam, nihil eſt aliud, quàm eſſe falſam certo quodam, ac determinato genere falſitatis pertinentis ad veritates reuelatas, ergo ſimpliciter; & ſecundum ſe ſunt tales propoſitiones hæreticæ.

10 Ad hæc, in vnaquaque diſciplina ſunt propriæ quædam falſitates, & errores, vſque adeò propriæ, & pertinentes ad illam diſciplinam, vt alterius non dicantur, teſte Ariſtotele libro primo poſteriorũ: ergo quẽmadmodum in aliis diſciplinis propoſitiones falſæ ſunt ex ſuo genere falſæ, ita propoſitiones falſæ contra fidem in theologia ſunt ex

genere

genere ſuo hæreticæ.

Deinde tales enuntiationes, ſeu 11
propoſitiones ſecundú ſe ſunt falſę,
ergo in aliqua ſpecie falſitatis: non
auté in alia, quàm in materia ſidei
catholicæ: igitur per ſe ſunt hæreticæ.

Tum illud addo, ab hęretica pro- 12
poſitione eſt homo hęreticus, & nõ
econtrario: ergo prius eſt ſecundum
ſe hęretica propoſitio, quàm ipſe
homo ſit hęreticus: quemadmodú,
quid candidum eſt à candore, & nõ
econtrario, candor eſt prius natura,
quàm ſit candidum.

Demum conciliũ Conſtantienſe 13
ait, aliquas propoſitiones eſſe hęreticas, alias erroneas, alias aliarum
qualitatum ſine reſpectu aſſerentiũ:
ergo ſecundum ſe ſunt tales. itaque
primum illud argumentum facilè
retorquetur in contrarium.

Nec obſtat alterum, quia nõ di- 14

cuntur hæreſes nouæ, aut veteres reſpectu aſſerentium, ſed quia nouè aſſeruntur, aut iam non inueniuntur. Nam ſi olim inuentæ fuiſſent, non eſſent nouę, & econtrario; ſed ſemper ſunt, fuerunt, & erunt per ſe hęreſes.

15 Ad argumẽtum tertium reſpondetur, quòd hæreſis nõ denominat ſubiectum, niſi ſit in eo, debito ac proportionato modo, vt iam antè dixi, & is proportionatus modus non inuenitur in ipſa propoſitione, cui per ſe non inhęret, nec inhęrere poteſt pertinacia.

16 Demum in eodem tertio argumento, & in duobus conſequentibus confunditur illa differẽtia, quæ eſt inter hęreſim & propoſitionem hęreticam, de qua ſuprà diſputaui: & ideo alia reſponſione nõ indigẽt.

17 Quòd ſi vera eſſet illa opinio, planè relinqueretur, tractari non

poſſe

poſſe de qualitate propoſitionis auctoris incerti, quinimo nec de propoſitione auctoris certi, niſi prius de animo, & pertinacia illius conſtaret, atque eadem dicenda eſſent de propoſitionibus temerariis, iniurioſis, maleſonantibus, itemque de cęteris: Nam ex qualitate aſſerẽtium eas, aliter atque aliter cenſeri poſſent: quo quid ineptius dici, cogitaríue poteſt?

Itaque cordati, modeſti, & non 18
temerarij theologi, qualitates propoſitionum ſecundum ſe ipſas diſpicere, ac cenſere ſolẽt, quia probè norunt, nõ eſſe ſui muneris tractare de intentione, aut pertinacia auctorum, deque aliis circunſtantiis: ſicuti ad chirurgum interrogatum, an vulnus ſit mortiferum, non pertinet inquirere, quis fuerit percuſſor, aut quo animo vulnus intulerit, ea enim omnia ad iudices perti-

nent, non ad peritos in arte, atque adeò, neque ad theologos cenſores.

19 Dimiſſa ergo ſubtili, ac parum vtili diſputatione, iam ad propoſitum reuertamur; illa propoſitio ſapit manifeſtam hęreſim, quæ prima fronte præ ſe fert hęreſim manifeſtam: vel ex qua, & quibuſdam veris, quæ nullą tergiuerſatione negari poſſunt, ſequitur hęreſis manifeſta. illa verò ſapit hęreſim, quæ prima verborum ſignificatione, & prima facie ſenſum habet hęreticũ, quamuis piè intellecta poſſit habere ſenſum catholicum, Gerſon in declaratione veritatum credendarum. Echius lib. 1. de primatu Petri cap. 6. Albertinus lib. de agnoſcen. aſſertio. quæſt. 6. Alfonſus lib. 1. de iuſta hęret. punit. cap. 8. Canus lib. 12. de locis theologi. cap. 11.

20 Quid erronea propoſitio ſit, & quomodo ab hęretica differat, theo

logi

logi certant, & adhuc ſub iudice lis eſt: eorum varias opiniones alibi retuli. erronea quidem propoſitio minus ſignificare videtur, quàm hæretica: itaque ea fortè eſt, quæ cõtinet errorem contra veritatem aliquam, nondũ planè ab eccleſia definitam, vel obſcuram, & non omnibus manifeſtam.

Propoſitio mâlè ſonans, vel pias aures offendens, ea eſt, quæ licet nullum errorem fidei contrarium manifeſtè contineat, habet tamen neſcio quid abſonum, atque hęreſi affine, quod piis auribus malèſonat. 21

Propoſitio temeraria eſt, quæ nulla graui auctoritate, aut iuſta ratione fulcita, temerè contra modeſtiam eccleſiaſticam aliquid aſſerit. 22

Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ occaſionem ruinæ, & ſcandalum generat. 23

Propoſitio ſchiſmatica eſt, quæ 24

diui-

diuiſionem ab eccleſia inducit.

25 Propoſitio ſeditioſa eſt, quæ cauſam ſeditionis in eccleſia præbet.

26 Propoſitio blaſphema eſt, quæ Deo, vel Sanctis iniuriam irrogat.

27 Propoſitio fauens hæreticis eſt, quæ perſonis, aut erroribus hęreticorũ quoquo modo fauere videtur.

28 Propoſitio iniurioſa eſt, quę alicui fidelium ſtatui, vel perſonæ, vel dignitati eccleſiaſticæ iniuriã facit.

29 Nihil autem prohibet eandem propoſitionem varias ſimul habere qualitates, quia nõ eiuſmodi ſunt, vt ſe inuicem expellant, & concurrere nequeant.

De comprehendendis reis.
TIT. XXV.

1 Vbi ex teſtimoniis, & propoſitionum qualitate, viſum fuerit promotori fiſcali, aliquos eſſe reos hæreſis, petere debet ab inquiſitoribus

bus, vt iubeant eos comprehendi, vt carcere clauſi puniri queant. Inquiſitores autē cum conſultoribus, excuſſis informationibus, ſiue ſummariis probationibus, deliberare debent.

Quòd ſi compererint, pluſquam dimidiis, ſiue pluſquam ſemiplenis probationibus reos vrgeri, & premi: tunc decernere debēt, & in acta referre, vt requirantur, & mittantur in carcerem. qua in re opus eſt magna prudētia, quia ſola captura pro crimine hęreſis vehementer infamat. l. 1. §. diligens. ff. de ſer. fugi. l. 1. de requi. reis. Gonſal. de hęret. q. 11. 2

Epiſcopus ſine inquiſitore, & inquiſitor ſine epiſcopo poteſt iubere, vt rei comprehendantur, & in carcerem cōiiciantur, & vt vinciantur, ſicut expedire videbitur. clem. 1. de hæreti. 3

Presbyteri non ſunt comprehen- 4
dendi,

dendi, niſi aduerſus eos duo, vel tres teſtes dixerint teſtimoniū: quia nec accuſatio contra illos eſt recipienda, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus: vt Paulus apoſtolus pręcipit, & beatus Thomas, ius illud ſingulare eſſe ait, in honorem preſbyterorum. 1. Timo. 5. & inibi Tho. c. accuſatio. 2. q. 7.

5 Goffredus Hoſtienſis, & Albericus putant, manifeſtum hęreticum à quocunque catholico cōprehendi poſſe: quia hoſtis communis eſt, ſed ea opinio periculoſa eſt, quia hæreticus ille ſe defendere poteſt, niſi fortè bellum fuerit indictum contra tales hæreticos, vel copia iudicis deſit, & hęreticus ſit fugitiuus. l. non eſt ſingulis de regu. iuris. l. ait prætor, ʃʃ. ſi debitorem, quæ in frau. credito.

6 Cùm reus comprehenditur, eodem die fieri debet ſequeſtratio bo-

norum

norum illius, ne abſcondantur, vel ſurripiantur, & vt ex eis reo alimenta præſtentur, & quæ ſeruari non poſſunt, vendenda publicè ſunt. Alia multa ad hanc rem pertinētia, in catholicis inſtitutionibus retuli. l. ſi quis intra. c. de bon. damna. l. Ariſto. l. igitur. l. ait prætor, ſ. vlti. ff. de iure deliberan.

De cuſtodia reorum.
TIT. XXVI.

AD continendos reos carcer neceſſarius eſt, vbi comprehenſi propter hæreſim, ita cuſtodiendi ſunt, vt nemo cum eis colloqui poſſit: quod experientia compertū eſt, eſſe commodiſſimum. Et Plato ille diuinus ante multa ſecula id expedire præſenſit: nam libro decimo de legibus inquit: Impij ſecretis carceribus mediterraneis coerceantur, & nullus cum ipſis colloquatur, pręter 1

aliquos

aliquos viros, qui admonentes ad ſalutem animæ colloquantur, cibũ autem illis à iudicibus præfinitum ſerui afferant.

2 Duo ſunt eligendi cuiuſcunque carceris hęreticorum cuſtodes, prouidi, induſtrij, & fideles, vnus ab epiſcopo, alter ab inquiſitore, & quilibet eorum poteſt habere alium miniſtrum bonum, & fidum, & in quolibet cõclaui duæ ſint claues diuerſæ, quarum alter vnam, alter habeat aliam. clem.1. §.ſanè de hæreti.

3 Hi verò antequam officiũ ſuum faciant, iurabunt coram epiſcopo, & inquiſitore, quòd in cuſtodia reorum omnẽ diligentiam, & ſollicitudinem, quam poterũt, fideliter adhibebunt, & quòd alicui vincto nihil vnus in ſecreto loquetur, quin hoc audiat alter cuſtos, & quòd alimenta ipſis fideliter & integrè præbebunt:

bebunt: idem iuramẽtum miniſtri cuſtodum præſtabunt. clem. 1. §. porro. de hæret.

Inquiſitores viſitare debent vin- 4
ctos bis ſingulis menſibus, vt in inſtructionibus continetur. lex verò ciuilis pręcipiebat, vt octauo quoq; die ꝓductos reos è cuſtodia iudices viderẽt, & interrogarẽt, an eis humanitas ꝑ corruptos carceris cuſtodes negaretur. l. 7. tit. 3. li. 9. c. Theodoſ.

Quamuis autem opinio multo- 5
rum ſit, quòd è carcere fugiens videatur crimen fateri: ea tamen iure non probatur, itaque pro perſonarum, & fugæ qualitate conſtituenda pœna eſt. ſolemus viliores pro effractione carceris flagellis cędere: nobiliores verò diligentius cuſtoditos, punire ſeueriùs: quòd ſi comprehendi nequeant, procedendum contra eos eſt, vt aduerſus contumaces, & impœnitentes. l. 1. ff. de

effractori. l. in eos. de cuſtod. reo. Igneus in l.3.§. ſubuenitur, ad Syllania.

De interrogationibus.
TIT. XXVII.

1 POSTEAQVAM rei fuerint in carcerem coniecti, poſt biduum, vel triduum examinādi ſunt ab inquiſitoribus: qui multa debent ab eis quærere, de parentibus, de educatione, de locis in quibus cōmorati ſunt, de officiis, de præceptoribus, deque aliis omnibus, quæ quoquo modo ad rem facere poſſe videātur.
2 Sed multa ſimul interrogāda nō ſunt, ne reus cum ſycophanta Plautino rectè dicere poſſit: Multa ſimul rogitas: neſcio quid expediam potiſſimum, ſin vnum quidquid ſingillatim, & placidè percuntabere, & meum nomen, & mea facta, & itinera, ego faxo, ſcias. in Trinummo. Dein-

Deinde quæretur ab eis, nũquid 3
ſciant, vel ſuſpicentur, quam ob cauſam comprehenſi fuerint; & ſi quid forte falſum, aut ſibi diſſonãs, vel parum veriſimile dixerint, id illis prudenter obiiciendum eſt. omnia autem interrogata, reſponſa, dictaque iudicum, atque reorum, à notariis præſcribenda ſunt.

Neque in initio duntaxat actorum, ſed in tota etiam cauſa vbicũque expedire videbitur, multis prudentibus interrogationibus inquiſitores vtentur. Et vt inquit beatus Auguſtinus, Diligens inquiſitor, & ſubtilis inueſtigator, ſapienter, & quaſi aſtutè interroget à peccatore, quod forſitan ignorat, vel verecũdia velit occultare: & varietates criminum nõ dubitet inueſtigare, & locũ & tempus & cætera. c.1. de pœn. di. 6. l. vbicunque. ff. di. interro. act. c. vlt. 30. q. 5. c. iudicet. 3. q. 7. 4

1 ADMONENDI ſunt ab inquiſitoribus rei, vt ſi quid ſenſerint, dixerint, commiſeríntue impium contra fidem catholicam, & legem euangelicam, id ſimpliciter, planè, ac verè fateantur; caueantq; ne contra ſe ipſos, aut contra quempiā falſum pro teſtimonio dicant: quòd ſi iuſtè, ſicuti tenentur, fecerint, benignè cum eis agetur: alioqui audietur promotor fiſcalis, & fiet iuſtitia.

2 *Hæ autem admonitiones fieri debent blandè, beneuolè, & cum charitate, non aſperè, vel cum terrore, ne rei metu iudicum mendacia proferāt. Nam vt beatus Chryſoſtomus homilia, de nomine Abram, inquit, Admonitio miſericordia carens, tortura quædam eſt.*

3 Intra decem primos dies à captura reorum, tres monitiones faciendę ſunt,

dæ ſunt, eodem tenore trinis diebus. ſolent & aliæ monitiones fieri ante publicationem teſtimoniorũ, & ante ſententiam quæſtionis habendæ; & vbi iudicibus expedire videtur. Sed tres illæ in primis neceſſariæ ſunt, c. conuenientibus prima, quęſt. 7. actione 3. cõcilij Chalcedonenſis.

De confeſſis. TIT. XXIX.

CVM vel interrogationibus, vel monitionibus reus planè cõfitetur: peracta eius cauſa eſt. Nam vt Iulius Paulus inquit: Confeſſus pro iudicato eſt: quia quodã modo ſua ſententia dãnatur. Vnde illud Euãgelij confeſſis reis dici poterit: *Ex ore tuo te iudico*, Luc. 19. l. 1. & l. 3. ff. de confeſſis. 1

Cæterùm non omnis confeſſio plenè prodeſt, vel nocet: Nam confeſſio generalis, & incerta, efficax nõ 2

eſt ad integram probationem: vrgeri tamen reus debet, vt certum confiteatur. l.certum.ff.de confeſ.
3 Nec ſtandum eſt cōfeſſionibus, quibus natura repugnat: nec eis quę veriſimiles non ſint. l. confeſſionibus. l.ſi is.§.vlt.ff.de interrogat.act. cap.quia veriſimile, de pręſumptio.
4 Et quia nonnunquam rei confeſſiones reuocare ſolét: videndum eſt, an id illis facere liceat? & quidem regula iuris hoc vetat: nimis enim indignum eſt, vt quod ſua quiſque voce faſſus eſt, id reuocet, ac ſibi ipſi aduerſetur: & eò magis, quòd prima confeſſio ſolet eſſe iurata. l.generali. c. de non nume. pecu. l.1.c.de confeſ.
5 Excipiuntur tamen ſpecies quædam, in quibus confeſſio reuocari poteſt. Nam minor viginti quinque annis, reſtitutione in integrum petita, ſi lęſus fuerit iniuſta confeſſione,

ſione, eam reuocare poterit. l. certum. §. vlti. ff. de confeſſ.

Deinde qui per errorem aliquid confeſſus fuerit, errore poſito, id reuocare poterit, non enim fatetur, qui errat, vt inquit Vlpianus, & qui probabili errore deceptus eſt, poſtea plenius inſtructus, retractare poteſt confeſſionem. l. non fatetur. ff. de confeſſ. l. de ætate, ſ. vlti. de interroga. act. c. vlti. de confeſſ. l. vnde Neratius, §. vlti. ff. ad. l. Aquil. l. 1. ſ. ſi quis vltro. de quæſt. 6

Quæri ſolet an is qui confitetur facta, ſed negat prauam intentionem, audiendus ſit? & quidem in malis dictis, & factis, præſumitur malus animus, & nemo credendus eſt dixiſſe, quod prius non mente agitauerit, & cùm in verbis non eſt ambiguitas, non admittitur voluntatis quæſtio. l. ſi non conuitij. c. de iniuriis. l. Labeo. ff. de ſup- 7

pelec. lega. l. ille, aut ille, de legat.3.
8 Itaque ſi quiſpiam ad ritus Iudæorum, vel Mahumetanorum, vel hæreticorum tranſierit, ſi impias propoſitiones defenderit, aut ſi quid tale admiſerit, puniendus eſt vt hæreticus, quamuis recta intentione ſe id feciſſe iurauerit. c. contra Chriſtianos. de hæreti. lib.6. c.1. de præſumpti.
9 Sed quamuis hæc ita ſint, & intentio eius, qui præſumptionibus vrgetur, iureiurando probari non queat: nonnunquam tamen probare aliqua veriſimilia reus poterit, quibus ita confeſſionem criminis moderetur, vt crimen excludat. c. vidua. de regula. Bart. in l. inter omnes. §. recte, de furtis. & in l. Aurelius. ſ. idem quæſiit, de libera lega.
Quòd ſi res dubia ſit, ad iuris re-
10 media deueniendum eſt: & plerunque rei torqueri ſolent, vt intentionem

nem ſuam proferant: id quod nonnulli etiam tradiderunt: Lanfran. in cap. quoniam contra. de probatio. parte, ſeu titulo confeſſiones. & Boſſius tractatu criminum tit. de confeſſ.

Qui verò poſt actam pœnitentiam publicam reuocare voluerit ſuas confeſſiones, vel dixerit, ſe iniuſtè damnatum, puniri debet vt impœnitens, vel certè tanquam temerarius. argu. l. famoſi. ff. ad leg. Iuli. maieſta. l. ſi duo patroni. ſ. vlti. de iureiuran. Calder. concil. 2. de hæreti. 11

In crimine hæreſis rei de ſe confeſſi debent de participibus interrogari. Nam ſi in aliis criminibus, non ita reipublicæ pernicioſis, id facere licet, multò magis licebit in hereſi: quod quidem à pluribus traditum, vſu frequenti receptum eſt. Bal. cõſi. 95. lib. 5. Driod. lib. 1. de li- 12

 bertate

bertate Chriſtiana, Soto de ratione tegendi ſecretum, membr.2. quæſt. ſexta.

13 Quin etiam rei non interrogati, ſocios criminum indicare tenetur: alioqui non bona videri poterit eorum confeſſio. diuus quidem Hieronymus in cap. Iob 15. inquit: Sapientes illi in Chriſto ſunt, qui ſatisfactione pœnitentiæ peccata ſua, vel errores hæreſeos, conuertendo ſe ad Deum fideliter confitentur, & auctores, vel criminum ſuorum, vel dogmatum manifeſtant. Et beatus Auguſtinus in epiſtola, quæ eſt ad Deuteriũ. 74. Hæretico petenti pœnitentiæ locum tunc credatur, ſi & alios, quos illic nouit eſſe, manifeſtauerit nobis.

14 Huc accedit memorabile illud exemplum, quod Proſper Aquitanicus in chronico, his ipſis verbis retulit: Maximo ſecundo, & Paterno con-

no cōſulibus, plurimos Manichęos intra vrbem latere diligentia Papæ Leonis innotuit: qui eos de ſecretis ſuis erutos & oculis totius eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudines, & dānare fecit, & prodere: incenſis eorū codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ. quæ cura viro ſancto diuinitùs (vt apparet) inſpirata, non ſolùm Romanæ vrbi, ſed etiam vniuerſo orbi plurimum profuit, ſiquidem confeſſionibus in vrbe captorum, qui doctores eorum, qui epiſcopi, quíue presbyteri, in quibus prouinciis, vel ciuitatibus degerent, patefactum eſt, multique orientalium partiū ſacerdotes, induſtriam apoſtolici rectoris imitati ſunt.

De pertinacia. TIT. XXX.

Quia non deſunt hæretici perti- 1
naces, qui nullis monitionibus reſipiſce-

ſipiſcere volunt: quin etiam quia pertinacia eſt hæreſis complementum, non erit alienum hoc loco de pertinacia diſſerere. quæ quidem nihil eſt aliud, quàm obſtinatio, aut peruicacia, qua quis in eo perſiſtit, quod tenere non debet. vnde pertinax dicitur, qui in errore perſiſtit, quem dimittere tenetur, vt Iſidorus docet lib. 10. etymolo.

2 Ceterum pertinacia, quæ cõſummatum facit hæreticum, non eſt obſtinatio ſola, vt quidam exiſtimauit, ſed quilibet etiam certus cõſenſus contrarius catholicæ veritati cognitæ, pertinacem hæreticum facit. hæreſis enim cõſummatur errore intellectus cum conſenſu voluntatis. alioqui nemo hæreticus cenſeri poſſet, qui admonitus, diceret, ſe ab hæreſi recedere velle, quãuis conſtaret, eum longo tempore in hæreſi perſtitiſſe. Vera ergo ſententia,

tentia, magno theologorum conſenſu recepta, ea eſt, quã antè dixi. Cuius ratio reddi poteſt: quia ſacra ſcriptura, & eccleſiaſtica diffinitio (quibus catholica fides continetur) plus operatur, & poteſt, quàm ſexcentæ iudicis monitiones, & quàm omnes prohibitiones iuris humani: ſed qui legibus vetantibus, & iudicum admonitionibus contradicit, pertinax eſt; ergo multò magis, qui impudenter, & impiè tenet contrarium eius, quod ſcit ſacris literis, aut eccleſiæ doctrina cõtineri. Gerſon alphabeto 14. ad finem. Caieta. & victoria, in 22. q. 12. Driod. lib. 1. de libertate Chriſtiana. Alfonſus Caſtr. lib. 1. de iuſta heret. punit. c. 9. Canus libr. 12. de locis theologicis, cap. 9.

Eorum quoque pertinacia conſummata eſſe præſumitur, qui errorem aliquem credunt, cuius oppo- 3
ſitam.

ſitam veritatem explicata fide credere tenentur, vel ex publica obſeruatione, vel ex communi doctrina eccleſiæ, vel ex officio, aut ſtatu ſuo, vel ſufficiente informatione, vel ex naturali iudicio rationis, vt rectè tradit Gerſon loco paulò antè citato, confert. c. turbatur. 1. q.4. & l. latæ culpæ.ff.de verb. ſignifi.

4 Sed & is, qui tenet errorem, cuius contrariam veritatem prius docuerat, hoc ipſo pertinax eſt; quamuis in eo erret, quod explicitè ſcire non tenebatur: quia ſatis conſtat, eum ſcientem errare. Gerſon tractatu de duodecim conſiderationibus, & ſignis, quibus ſolet aliquis de pertinacia conuinci. Turrecremata lib. 4. de eccleſia, parte 2.c.16.

5 Ad hæc, præſumitur hæreticus pertinax, qui diu perſiſtit in errore, cuius contrarium explicata fide ſcire non tenebatur: quia culpa ſua per-

perſiſtit in eo, quod dimittere debet, cùm teneatur conſulere peritiores. Turrecremata eodem cap. 16. Ant. in ſumma parte 2. tit. 12. c. 5. Lupus allegat. de hæreſi. §. 10. Sylueſter verbo hæreſis. 1. q. 2.

Deinde qui errat probabili ignorantia, & legitimè admonitus, adhuc in errore perſiſtit, is deinceps hæreticus pertinax eſt. c. qui in eccleſia. c. quid autem. 24. q. 3. 6

Eſt autẽ legitima monitio quæcunque probabiliter poteſt errantẽ ab errore reuocare: nec enim pertinax eſſe debet, ſed bona fide acquieſcere veritati. Gerſon tractatu de proteſtatione, conſideratione 10. Victoria ſuper Tho. 22. q. 11. ar. 2. Alfonſus Caſtr. lib. 1. de iuſta hæreti. punit. cap. 10. 7

Eſt quoque communis ſententia, legitimam eſſe admonitionem, quæ ab inquiſitore fiat: niſi fortè propo- 8

propoſitio foret ambigua, & reus vir doctus, & inquiſitor non admodum eruditus, tunc enim non ſtatim pertinax eſſet, qui ſine obſtinatione ſententiam doctiorum expeteret. Bar. in l.3. §. tutores. ff. de ſuſpe.tuto. Anania, & Feli. in rub. de hæreti. Alfonſus eodé ca.10. Adrianus quolibet.2.

De pertinaci inſanabili.
TIT. XXXI.

1 De pertinacibus, qui negant ſe fuiſſe hæreticos, ſpes eſt, vt ſaltem poſt publicata teſtimonia cõfiteantur errores: quamobrem eorũ cauſę via ordinaria diſcutiendæ ſunt. Quid tamé cum illis agas, qui ſubuerſi ſunt, qui ſpretis admonitionibus, in affirmandis erroribus ſunt peruicaces? Veritas quidem apud Ioannem inquit: *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Vbi Theophylactus addit,

addit, quoniam ipſa incredulitas condemnatio eſt: eſſe enim extra lucem per ſe maximũ ſupplicium eſt, nec eget alio iudicio, nec alia noua condemnatione. Ioan. 3.

Paulus quoque Apoſtolus in epiſtola ad Titum, cap. 3. ſuo ipſius iudicio condemnatum dicit hæreticum: quia cùm reliqui facinoroſi per ſententiam iudicum nonnunquam ab eccleſia propellantur, ſoli hæretici in ſemetipſos ferunt ſententiam, ſuo arbitrio de eccleſia recedentes; quæ receſſio propriè conſcientię damnatio eſſe videtur: quin etiam ab eccleſia recedere maxima condẽnatio eſt, vt illic diuus Hieronymus, & Anſelmus ſiue Heruæus tradunt, & id ipſum beatus Maximus retulit homilia 2. de domino accuſato, & damnato. 2

Supereſt igitur ſi poſt monitiones, poſt doctorum hominũ diſpu- 3

H tatio-

tationes, adhuc incorrigibiles hæretici, atque adeò inſanabiles ſint, vt curię ſeculari relinquãtur, animaduerſione debita puniendi. Nec mirari quiſpiam debet, ſi fortè illorum aliquis lætus trahatur ad mortem: nec enim talium eſt alacritas vera, ſed inſania, & furor: nec patientia, ſed immanitas, plurimùm intereſt inter barbaricam immanitatem, & martyrum modeſtiſſimã conſtantiam. ſunt qui certis artibus corpus ſtupefaciũt, ne ſentiant cruciatus: ſunt & affectus impotentes, qui ſenſum adimunt animo ita, vt vel mortem impauidi perferant. Sed placidum illud, ac manſuetum, illud humiliter ſublime, & ſublimiter humile, non videmus, niſi in Chriſti martyribus: non intuentur trucibus oculis carnificem, non minitantur tyranno: magis dolent de illorum cæcitate, quàm de ſuis affli-

afflictionibus. Hæc beatus Cyprianus libro de duplici martyrio, & alia in eandem ſententiam.

Diuus quoque Bernardus ſuper 4
Cantica ſermone 66. inquit: Probatum eſt, mori magis volunt, quàm conuerti. mirabantur aliqui, quod non modò patienter, ſed & læti (vt videbatur) ducerentur ad mortem, ſed non inde mirandum, ſi aduertatur, quanta ſit poteſtas diaboli, non modò in corpora hominum, ſed etiam in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit. Nónne plus eſt, hominem ſibimet iniicere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? hoc autem potuiſſe diabolum, frequenter experti ſumus in multis, qui ſemetipſos, aut ſubmerſerunt in aquas, aut fecerunt ex ſublimi præcipites, aut laqueo ſe ſuſpenderunt. nihil ergo ſimile habet conſtantia martyrum, & pertinacia hæreticorum:

quia in illis pietas, in iſtis cordis duritia contemptum mortis operatur.

De diſputatione. TIT. XXXII.

1 CONTRA pertinaces hæreticos non eſt publicè diſputandum. quia vt Tertullianus libro De perſcriptionibus aduerſus hæreticos, inquit: Huiuſmodi diſputationibus nō modò nō conuertũtur hæretici, ſed audaciores etiam redduntur: & in ipſo congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. & ſacer Bernardus loco prænotato, nec rationibus conuincuntur hæretici, quia non intelligũt: nec auctoribus corriguntur, quia nō recipiunt, nec flectuntur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt. c.2.§.1. de hæreti.lib.6. l.3.c. eodem tit.

2 Chryſoſtomus, ſiue quis ille, in Mat-

Matthæum homilia 42. operis imperfecti: Malitia,inquit, frequenter vincitur, nũquam autem placatur. audi ergo homo fidelis, qui contra hęreticũ libenter contendis. ſi Phariſæi victi, placati non ſunt, & tu certando contra hæreticum potes eum placare cùm viceris? nunquid fortior Chriſto es, vt quos ille non placauit, tu placaueris?

Sed cùm hæretici ſunt carcere 3
cõditi, vbi nulli nocere diſputatione poſſunt: non ſolùm admonendi ſunt à iudicibus,ſed à theologis cõuincendi. Nam etſi pertinaces ſint, nonnunquam tamen vexatio dat intellectum: & piorum, atque doctorum hominum rationibus, & argumentis ad ſanam menten redire ſolent: itaque cum eis tunc diſputare licebit, ſeruatis iuſtis circunſtantiis. Brunus libro tertio de hæreti. cap. 12. cum ſeq. Hermas

libr. 2. de inſt. religione, à cap. 7. deinceps.

De accuſatione. TIT. XXXIII.

1 CIVES omnes tenentur accuſare hominem reipublicæ pernicioſum, ſi crimina illius poſsint idoneis teſtibus cõprobare. nemo autẽ eſt reipublicæ pernicioſior, quàm hęreticus pertinax: vt multis exemplis dolendis iam pridem compertum, & hac noſtra ætate plurimis infandis, ac miſerabilibus, perſpicuum factum eſt. Omnes igitur hęreticum prodere, atque accuſare debent. l. Manichæos. c. de hæreti. c. præſumunt. cum ſeq. 2. quæſt. 7. cap. nos ſequẽtes. 6. quæſt. 1. theologi. in lib. 4. ſent. diſtin. 19.

2 Sed hodie promotor fiſcalis publicus eſt hæreticorum accuſator: qui cùm officij neceſsitate coactus accuſet, non timebit pœnam talionis,

nis, ne calumniatoris quidē. l. poſt legatum, ſ. aduocatum fiſci, ff. de his, quib. vt indignis. l. qui cùm maior, ſ. pen. de bonis liberto.

Vbi autem rei, neque interroga- 3 tionibus, neque monitionibus errores ſuos plenè confiteri volunt, promotor fiſcalis de iis hæreſibus illos accuſat, quæ ſummaria informatione apud iudices probatę ſunt, easque articuloſa factorum commemoratione cōmplecti debet, vt ſciant rei quibus ſint criminibus reſponſuri; ea tamen ſunt occultanda, quæ ad veritatē eruendam prætermittere opus ſit, argu. l. 1. ſ. editiones, ff. de eden. Brunus lib. 4. de hęreti. cap. 7.

Libellum accuſatorium præſen- 4 te reo promotor iudicibus offerre, eumque legere debet, ac præterea iurare, ſe eam accuſationem non ex malitia edere, ſed quia obiecta cri-

mina probare intendit,c.vlti.2.q.8.

5 Accuſationi reſpondere reus debet ſingillatim, de ſingulis articulis à iudicibus interrogatus,deinde copia libelli reo fieri debet,vt cum deliberatione pleniùs, ſi velit,reſpondeat. quòd ſi pernegauerit, concluditur in hoc,vt proferatur ſententia, qua dilatio concedatur, in qua probare poſsint reus & accuſator,quidquid cuilibet expedire videbitur.

De probationibus. TIT. XXXIIII.

1 CRIMEN hæreſis grauiſsimũ eſt, & magnum in eo periculũ vertitur, idcirco cautiùs agendum eſt in eius probatione, quàm in cæteris criminibus: præſertim cùm facultas defenſionis manca quodam modo reo concedi ſoleat, quo fit,vt probationes luce clariores ad conuincendum hæreticum neceſſariæ ſint.l.vlt.c.de probatio.Oldra.conſil.

ſil. 210. Ancha. in c. accuſatus. in prin.de hæreti.lib.6.

Hinc eſt, quòd ad probandam 2
hæreſim nõ ſufficit vnus teſtis cum fama publica: nec teſtes ſingulares cum eadem fama. Ioan. de ligna. & Matthæ. in clem. 1. & 2. de hæreti. Ioan. And. & Domi. in c.vt officiũ, eodem tit.lib.6. Gonſal. de hæreti. quæſt. 13. lupus allegat. de hæreſi. §. 12.

Inde quoque fit, vt ad plenam 3
probationem hæreſis, non coniungantur diuerſæ ſpecies imperfectæ ſiue ſemiplenę probationis, quę eſt ſententia cõmuniter approbata. Bartoli.in l.ſi quis ex argentariis, §. 1. de eden. & ibi omnes. Ripa in l. admonendi de iureiuran. nu. 209.

Nec deſunt, qui putent, duos ſo- 4
los teſtes non ſufficere ad integram probationem, ſed ea opinio à plurimis reiecta eſt: quia etiam in hac

ſpecie locus eſt regulæ peruagatæ: *In ore duorum vel trium teſtium, ſtabit omne verbum:* & hæc eſt communis opinio teſte Felino, in c. excommunicamus, de hæreti. nu. 27. Domi. & Fran. in c. vt officium, eodem tit. libr. 6. Syluester verbo hæreſis. 2. quæſt. 4. Alberti. in c. 1. de hæreti. lib. 6. quæſt. 16.

5 Sed opus eſt, vt duo illi teſtes ſint irrefutabiles, & omni (quod aiunt) exceptione maiores: alioqui non facerent plenam probationem. etſi enim in fauorem fidei teſtes quoq; minus idonei recipiantur: non ideo tamen duobus ſolis plena fides habetur, ſed neceſſe eſt, vt alia multa concurrant, vt ipſamet lege planè decernitur. c. in fidei de hæreti. lib. 6. Lupus in allegatione, §. vlti. Brunus lib. 4. de hæreti. cap. 9.

6 Verùm quidam exiſtimant, leuioribus argumentis hæreſim probari

bari poſſe: decepti lege quadam ci-
uili: quæ adeò deprauata in codici-
bus vulgatis eſt, vix vt eã interpre-
tari potuerint, Lupus, Albertinus,
Brunus, Godofredus, & alij. ſed ver-
ba legis emendatæ ſunt: Hæreticus
eſt, ac latis aduerſus hæreticos legi-
bus ſuccumbit, qui vel paululum
ab orthodoxa fide declinat: & ita ea
retulit Photius Patriarcha in nomo-
canone, ſiue iure pontificio Græco-
rum. tit. 12. c. 2.

Quam lectionẽ ideo magis pro- 7
bo, quia illic non agitur de proba-
tione hæreſis; nec admodum refert,
hoc an illo argumento deuiet quiſ-
piam, vel detectus ſit à iudicio, vel
tramite eccleſiæ catholicæ deuiare:
ſed ponitur hæretici quædam diffi-
nitio. Nam cùm is ſit hæreticus,
qui lineas catholicæ fidei tranſiliit,
is vtique hæreticus erit, qui vel pau-
lulum, vel minimũ eas tranſgreſſus
fuerit,

fuerit, neque quantum ad hoc attinet, plurimum intereſt quouſque progrediatur.

8 Accedit eodē diuus Ambroſius, qui epiſtola 84. inquit: Alienus eſt à numero fidelium, & à ſorte ſanctorum, qui in aliquo à catholica veritate diſſentit. ſi à recta via paululum declinaueris, non intereſt, vtrum ad dextram vadas, an ad ſiniſtram, cùm verum iter amiſeris, vt ait beatus Hieronymus.

9 Sed quo pacto probari poteſt hęreſis, cùm ſit error in intellectu, & pertinacia in voluntate: quæ cùm ſint inuiſibilia, & occulta, videntur quoque in teſtium ſenſum non cadere, atque adeò probari non poſſe, quandiu quidem ea in corde ſolo retinuit hæreticus, verum eſt, non poſſe probari, ſed ſi animi motus interprete lingua explicauit, facilè teſtibus conuincetur, quia nemo creden-

credendus eſt dixiſſe, quod non mente agitauerit: & quia verba declarant mentem loquentis, & quia ſunt notæ earum paſſionum, quæ in animo ſunt: & quia nullum eſt maius animi noſtri teſtimonium, quàm qualitas expreſſa verborum, vt ait Caſſiodorus.l.Labeo, §. idem Tubero.ff.de ſupellectili lega.c.humanæ aures.22.quæſt.5.

Scriptis quoque probatur animus, vt ſuo loco dixi, nec enim minus, quinimo multò magis declaratur animus ſcriptis cum deliberatione factis, quàm verbis faciliùs prolatis. verba quidem volant, & tranſeunt, ſed ſcripta permanent, & ſemper loquuntur, atque eodem tenore loquuntur. cùm loqui non poſſet Zacharias, poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens: *Ioannes eſt nomen eius.* vides quomodo ſcribens dixit? & propheta regius dicebat, linguam

linguam ſuam eſſe calamum. Luc. 1. & Pſal. 44.

11 Factis præterea cognoſcitur, atque probari poterit hęretici mens, animus, & cogitatio. vt enim B. Cyprianus, libro de duplici martyrio, inquit: Habent & opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam etiã tacente lingua: quinetiam vt Lucianus in Toxari ſcribit, res ipſæ longè magis loquũtur, quàm verba. Præterea illud apoſtoli, *Confitentur ſe noſſe Deum: factis autem negant.* ſed venio ad ſanctum Auguſtinũ, qui hæc ſcripta reliquit: Facta indicant occulta: nam oculus in conſcientiam non penetrat. attendo quid agat, & ibi intelligo, quid cogitet, ſunt quædam, quæ intus latent: ſed ſunt & multa, quæ procedunt in opera, & manifeſta fiunt etiam hominibus. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos:* non enim fructus oſtenditur

ditur niſi in factis, ad Titum 1. Augusti.in Pſalm.149. Matthęi 7. l. de quibus in fine.ff.de legib.

Præterea cognoſcitur animus in repentinis: quia cùm in eis locus non ſit deliberationi, aut electioni, tunc operatur homo ſecundum finem ante acceptum, & ſecundum habitum præexiſtentem. Tho. 1. 2. quęſt.109.arti.8. 12

De teſtibus. TIT. XXXV.

1 FIRMISSIMA quidem probatio eſt, quæ ex teſtibus fide dignis conſtat; quia hominum ſcientia nititur, ſed vt Cicero inquit in Topicis. Non qualiſcunque perſona teſtimonij pondus habet: ad faciendã enim fidem auctoritas quęritur: ſed auctoritatem, aut naturam, aut tempus afferre; naturæ auctoritas in virtute ineſt maximè: in tempore autem multa ſunt, quæ afferunt aucto-

auctoritatem: ingenium,opes,fortuna,ars,vſus,neceſſitas. Et in Partitionibus oratoriis idem Cicero de ſingulis teſtibus conſiderare docet, ſi fortè natura vani ſint, ſi leues, ſi cum ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia, ſi miſericordia impulſi, ſi præmio,ſi gratia adducti teſtimonium perhibuerunt.

2 Et iuriſconſulti aiunt: multa exploranda eſſe in teſtibus, conditionem, dignitatem,diuitias, paupertatem, amicitiam, inimicitiam, ſexum, ætatem, & id genus alia. Et vt Adrianus imperator ſcripſit: quę argumenta ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt, aliâs numerus teſtium, aliâs dignitas, & auctoritas, aliâs velut conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur,fidem. Ad ſummam his omnibus rectè perpenſis, iudex magis

magis ſcire poterit, quanta fides teſtibus ſit habenda. l.2. cum. ſeq. ff. de teſtib.

Eleganter Cicero pro Fonteio inquit: Si hoc iudices præſcriptum lege, aut officio putatis, teſtibus credere: nihil eſt, cur alius alio iudice melior, aut ſapientior exiſtimetur. vnum eſt enim, & ſimplex aurium iudicium, & promiſcuè, & communiter ſtultis, ac ſapientibus à natura datum. quid eſt igitur, vbi lucere poſſit prudentia? vbi diſcerni ſtultus auditor, & credulus ab religioſo, & ſapienti iudice? nimirum illud, in quo ea quæ dicuntur à teſtibus, coniectura, & cogitatione traduntur: quāta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quāta religione, quāto ſtudio exiſtimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur. 3

Cùm teſtes ab inquiſitoribus recipiun- 4

cipiuntur, admonendi ſunt in primis, vt caueant, ne odio, aut pretio, aut alio iniuſto affectu falſum teſtimonium dicant: eſſe enim ſcelus horrendum tanti criminis infamare innocentem. Deinde iuſiurandũ ſolemne præſtabũt, nulli enim teſti creditur iniurato, cap. hortamur. 3. quæſt. 9. cap. nuper. de teſtibus.

5 Ad hæc, inquiſitores diligentiſſimè perſcrutabũtur, an teſtes mendacia proferant: interrogãtes multa de antè dictis, multa de inſecutis, multa de loco, tempore, deque aliis circunſtantiis. Deut. 19. Fabius lib. 5. cap. 7. c. iudicantem. 30. quæſt. 5.

6 Teſtimonia verò rata ſunt habenda coram duobus religioſis viris, clericis, aut monachis: vt tot inſpecta oculis, tot inſinuata ſenſibus falſi ſuſpitionem excludant, c. vlti. & ibi Ancha. c. vt officiũ, §. verum, & illic domini, de hęreti. lib. 6.

Hæc

Hæc teſtiũ receptio ab ipſiſmet 7 inquiſitoribus fieri debet, nec eſt cuiquam committenda, niſi magna ex cauſa, tunc autẽ vicario epiſcopi, aut alij prudenti, ac probo viro id munus iniungẽdum eſt. Bal. in cap. 1. de controuer. inueſti. lib. Feudo, Feli. in cap. cum cauſam de teſtib. Couar. lib. 2. reſolut. cap. 13.

Poſſunt inquiſitores cogere quaſ- 8 cunque egregias perſonas, vt ſe coram eis ſiſtant, & in cauſa religionis teſtimonium perhibeant; hoc enim & iudicum auctoritati, & honori, & fidei fauori debetur: id tamen admodum prudẽter exequendum eſt, gloſ. in c. 1. de teſtib. cogen. Roma. notab. 401. Iaſ. in l. ad egregias. ff. de iureiuran.

Quamuis teſtes recipiendi non 9 ſint lite nondum conteſtata: in cauſa tamen hæreſis, in qua inquiſitio iudicis officio fit, dubium non eſt,

quin recipi queant ante litis conteſtationem, c. quoniam frequẽter, §.ſunt,& alij,vt lite non conteſtata.

10 Sed an ratihabitio teſtimoniorũ fieri poſſit, antequam ſit conceſſa dilatio ad probandum?& cùm reus citandus non ſit, vt cognoſcat teſtes, & ſimpliciter ac de plano procedatur, & ſaluum ſit accuſato ius dicendi contra teſtes, & eorum teſtimonia, atque adeò cùm ceſſent omnia, propter quæ in aliis criminibus teſtimonia ſunt ratificanda intra terminum præſtitutũ ad probandum, relinquitur planè, vt rata haberi teſtimonia poſſint extra tẽpus illud: præſertim cùm iuſta aliqua vel probabilis cauſa id exigere videatur, cap.vlti. de hæreti .lib. 6. Feli. Decius, & cæteri in cap. 2. de teſtib.dicto cap.quoniã frequenter.

11 Cùm teſtes vocantur, vt ratificent ea teſtimonia quæ iam antè dixe-

dixerant: examinari poſſunt etiam prioribus teſtimoniis non oſtenſis: ſaltem vt in ſumma prius repetant quidquid de re illa ſciunt: quia mẽdaces oportet mẽmores eſſe, atque eò magis, ſi ſuſpitio aliqua ſubſit de teſtimonio falſo. Feli. in cap. cum in tua, de teſtib. Boerius deciſ. 108.

Quamuis reus dicat, ſe habere teſtes pro ratificatis, nihilominus ratificandi ſunt: tum quia ſæpè ſolent cõfeſſiones ſuas reuocare, tum etiam, quia defenſionibus renunciare nequeũt: maximè, ſi puniendi ſunt pœna graui. l. ſi nõ defendantur. ff. de pœnis, gloſ. recepta. in l. pactum inter hæredem. ff. de pactis. 12

Publicatio teſtimoniorum reo edenda eſt, vt contra illa dicere queat, quidquid ad ſuã defenſionẽ pertinere putauerit. Bart. in l. ſolã. c. de teſtibus. Abbas, Decius, & cęteri in capitulo cauſam. quę. 1. codẽ tit. 13

14 Nomina teſtium edenda nō ſunt in teſtimoniorum publicatione, vbi periculũ teſtibus immineret, propter potentiam reorum. potentia autem (vt inquit Sylueſter) triplex eſt, prima generis, & familiæ; ſecunda pecuniæ: tertia malitiæ, quæ aliis duabus eſt formidabilior. maius enim periculũ eſt, nomina edere pauperi reo habenti ſocios rebelles, & homicidas, qui pręter corpus nihil perdere poſſunt, quàm generoſo, vel diuiti, bonis temporalibus affluenti. hæc ille, c. vlti. de hæret. lib. 6. Sylueſter lib. 3. de ſtrigimagarum, & dæmonum admirandis. c. 3.

15 Ergo vbi periculum omne ceſſaret, nomina teſtium edi poſſunt, ac debent: idque lex illa planè ait, & eam eſſe ſeruandam Paulus Pariſius reſpondit. Sed quia difficile eſt diuinare vnde periculũ teſtibus euenire poſſit, & quia cauſis fidei malè conſul-

conſultum foret, ſi teſtes periculi metu teſtimonium dicere non auderent, idcirco Innocentius ſextus conſtituit, vt nunquam teſtium nomina edantur, & eo iure, felici ſucceſſu in Hiſpania vtimur, Pariſius conſi. 2. lib. 4.

Verba conſtitutionis pontificiæ 16
hæc ſunt: Volumus vt nomina tam accuſantium prauitatē hæreticam, quàm teſtificantium ſuper ea, nullatenus publicentur, propter ſcandalum, vel periculum, quod ex publicatione huiuſmodi ſequi poſſet: & adhibeatur dictis eiuſmodi teſtium nihilominus plena fides. ea cōſtitutio prolixiùs relata eſt in directorio inquiſitorum, fol. 52.

Vnde relinquitur planè, teſtes 17
cum reis non eſſe altrinſecus committendos, ſiue vt vulgò dicitur, nō eſſe confrontandos: quia ſi eorum nomina edenda non ſunt, multò

minùs ipſimet reis ſunt oſtendēdi: Adde quòd nullo id iure cauetur. ex magna tamen cauſa, omni periculo ceſſante, recto iudicū arbitrio nonnunquam id fieri poterit.

18 Quamuis excommunicati, & participes criminum contra hæreticos, & eorū fautores, poſſint perhibere teſtimonium, præſertim in aliarum probationum defectū, non tamen eis plena fides habetur, niſi ex numero, ex veriſimilibus coniecturis, ex reorum ac teſtium qualitate, atque ex aliis circunſtantiis, falſa dicere non præſumantur, cap. in fidei, de hæreti. lib. 6. & ibi interpretes, Gonſaluus de hæretic. quæſt. 13. Alberti. de aſſeren. aſſertio. quæſt. 34. Coraſius lib. 5. miſcella. cap. 20.

19 Sunt qui putāt, participi criminis nullā eſſe fidem habendā, niſi tormentis fuerit eius teſtimonium confir-

confirmatum. ſed verior ſententia eſt, iudicem arbitrari debere, quãta fides illi ſit adiungenda, circunſtantiis, quas iam antè retuli, iuſtè perpenſis, cap. pen. 5. quæſt. 5. & ibi docto, cap. 1 de teſtib. lib. 6. & illic interpretes, Aymo conſ. 178. Boer. deciſ. 319.

Quòd autem vulgò aiunt: credendum non eſſe teſtimonio de audito, id eſt, de re audita: non ſic eſt accipiendum, vt fides non adhibeatur teſti de his, quæ ipſe à reo audiuit, ſed de his, quæ alij ſibi dixerũt, alioqui cùm hæreſis nõ tam factis, quàm verbis declaretur, nullis teſtibus probari poſſet, cap. licet ex quadam, de teſtibus. l. teſtium. c. eodem titulo. Alex. Ale. 3. parte, quęſt. 45. 20

Accedit eodem, quòd verba percipiuntur auribus, & auditu accipiuntur: atque is ſenſus poſt viſum, cæteris præſtantior eſt. teſtes autem 21

de his rectè teſtificantur, quæ nouerint, accõmodatis cuique rei ſenſibus, atq; ea probè ſciunt. itaq; auditiones, id eſt, ſermones ab aliis relati, nullam fidem faciunt, quia vt Fabius rectè ait, Qui ea dicunt, quæ ab aliis audierunt, non ipſi teſtes ſunt, ſed iniuratorum afferunt voces. qui verò præſentes reum loquentem viderunt, & eius verba hauſerunt auribus, ij teſtes idonei ſunt. Vnde illud Demoſthenis: Manifeſtæ impudentiæ eſt, ea teſtari, quibus teſtis non adfuit. leges autem non ita loquuntur, ſed quæ norit aliquis, & quibus gerendis interfuit, ea teſtari iubent, rem verò è viuẽte auditam, teſtari nõ ſinunt, hæc ille oratione 2. in Stephanum. Fabius lib. 5. c. 7.

22 Beatus Chryſoſtomus in Geneſim homilia 30. Deſcendit Dominus, inquit, nõ vt humano modo in-

do intelligamus, ſed vt per hoc erudiamur, nunquam temere fratres condemnandos, neque auditu ſolo iudicandum, niſi pluribus argumētis prius certi reddamur.

Hæretici contra catholicos teſtificari non queunt: quia excommunicati ſunt, & infames, & quia in fide catholica perfidi ſunt, & multò magis in teſtimonio humano ſuſpecti eſſe debent, Apoſtoli canone 74. c. nō poſt. 2. quæſt. 7. l. quoniam. c. de hæreti. 23

Sed hæretici teſtimonium cōtra hæreticum recipiendum eſt, vt reo dignus ſit teſtis, nec enim eum reiicere poteſt, propter crimen, quod ipſe habet. c. ſi hæreticus. 2. quęſt. 7. dicta. l. quoniam. l. in arenam. c. de inoffi. teſta. 24

Contra teſtes in cauſa hæreſis nō recipiuntur exceptiones, niſi tales ſint, quæ illos penitus refellant: videli- 25

videlicet, inimicitiæ capitales, cõiurationes, ſubornationes, & aliæ generis eiuſdem. Nam cæteræ fidem teſtium eleuant, ſed eam prorſus nõ tollunt, cap. per tuas. 1. de ſimo. cap. repellantur, cap. cùm oporteat. cap. cùm dilectus, de accuſatio. cap. cõſpirationes. 3. quæſt. 4.

26 Ad probandas exceptiones cõtra teſtes promotoris, non ſunt admittendi conſanguinei reorum intra quartum gradum, nec ad probandas defenſiones obliquas, ſiue indirectas: quoniam pœna, & infamia hæreticorum ad dolorem, & iniuriam conſanguineorum porrigitur, cap. filij de hæreticis lib. 6. l. 2. ff. de liber. cauſa.

27 Quamuis in aliis criminibus cõſanguinei cogi non queant, vt contra propinquos, & conſanguineos teſtificentur; ſecus tamẽ eſt in cauſa hæreſis, quia præferenda eſt religio

gio propinquitati. l. lege Iulia. ff. de teſtibus, cap. ſi audieris. 23. q. 5. glo. in cap. vlti. de teſtib. lib. 6. Aymo conſ. 220.

Quin etiam tanto firmius eſt cõ- 28
ſanguineorum teſtimonium, quãto à ſuſpitione odij longius, quàm alij, abſunt, cap. literas, de præſump. cap. nõn æſtimemus. 13. q. 2.

Quòd ſi propinquus falſum pro 29
teſtimonio dixerit, multo maiori pœna dignus eſt. Nam ſicuti Demoſthenes priore in Stephanum oratione inquit: Iniquũ eſt, quemcunque tandem opprimere falſo teſtimonio, ſed multò iniquius eſt, & grauiùs vindicandum, opprimere cognatos: non enim ſcriptas tãtummodo leges talis homo, ſed ipſius etiam naturæ coniunctionem euertit. l. capitalium, ʃ. omnia admiſſa. ff. de pœnis. l. 1. cum ſeq. ad leg. Pompe. de parrici.

Tam-

30 Tametſi autẽ in aliis cauſis publicatis teſtimoniis non recipiantur teſtes ſuper eiſdem articulis, vel prorſus contrariis: in cauſa tamen hæreſis longè aliter fieri debet, & ea eſt ſententia recepta communiter, Domini. in cap. vt officium, ʃʃ. verũ, de hæreticis lib. 6. Feli. in cap. fraternitatis, de teſtib. Alberti. in cap. 1. de hæreti. lib. 6. quæſt. 16. nume. 19.

31 Cuius ratio eſt, quia publicatio ſecretò fit; itaq; ceſſat ſuſpitio ſubornationis, & quia per inquiſitionẽ proceditur: quo caſu teſtes etiam poſt publicationem recipiẽdi ſunt, cap. conſtitutis. 2. de teſtibus. Bart. in l. 2. §. ſi publico, ff. de adulte. Inno. Hoſtien. & cæteri in cap. cùm clamor, de teſtib.

32 Quæſitum fuit, an teſtes reorum ſint examinandi ſecundùm interrogatoria aduocatorum? Et id quidem

in

in Hiſpania vix fieri ſolet, ac fortaſſe ne vix quidem. Primò, quia interrogatoria illa vt plurimùm generalia ſunt, & incerta, & melius atque certius officio iudicum teſtes interrogantur. Deinde, quia cùm non dentur articuli, locus non eſt interrogatoriis. Poſtremò, quia iuriſperiti negant id fieri debere: & experientia docuit, non expedire, vt iſte aduocatorum ſtrepitus fiat. c.præſentium, de teſtib.lib.6. c.vlti: de hæreti. lib.6. Ioan. Añd. Archid. & Frãcus in c.cùm officium. ∫ verum, eodem tit.

Teſtes vt bene probent, concordes eſſe debent: diſcordibus enim credendum non eſt. vnde ab Euangeliſta (Marc.14.) notantur illi falſi teſtes, qui contra Chriſtum Dominum falſa dixerunt, quia nõ erant conuenientia eorum teſtimonia. ſic etiam, cùm Seruinus, & Natalis di- 33

uiſim

uiſim interrogati, non congruentia reſponderent, exorta ſuſpitio fuit, eos cum aliis multis aduerſus Neronem coniuraſſe: Vnde factum eſt, vt quæſtione habita, & coniuratione patefacta, & ipſi, & Seneca, & Lucanus ciues mei celeberrimi, & alij multi perirent, auctor Cornel. Tacitus libro 15. l. eos. ff. de falſis.

34 Sed ſi teſtes concordes ſint in rerum ſubſtãtia, quamuis in quibuſdam accidentibus, aut leuibus circunſtantiis diſcrepent, nihilominus plena fides eis habẽda eſt. Nam & memoria hominum labilis, & earum rerum obliuio frequens eſt. c. nihil obſtat, de verb. ſignifi. l. quæ extrinſecus, de ver. oblig. l. qui ſententiam. c. de pœnis. l. peregre. ff. de acqui. poſſeſ. Bar. in d. l. eos, de falſis. Alex. conſilio. 5. lib. 1.

35 Diuus Auguſtin. de verbis Domini ſermone 11. neque alia cauſa

eſt,

eſt, inquit, cur Euangeliſtæ eadem non eodem modo dicant, niſi vt inde diſcamus, res verbis, nō rebus verba præponere, nihilq́ue aliud in loquente quærere, niſi voluntatem: propter quam inſinuandam verba promuntur. & paulò pòſt: Eadem res ab omnibus dicta eſt, neque aliquis eorum à loquentis voluntate diſceſſit: propter quam intelligendam verba dicuntur, ſcribuntur, leguntur, audiuntur.

Idem diuus libro 2. de conſenſu 36
Euangeliſtarum cap. 12. Satis apparet, nos non debere arbitrari, mentiri quemquam, ſi pluribus rem, quam audierunt, vel viderunt, reminiſcentibus non eodem modo, atque eiſdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata: vt ſiue mutetur ordo verborum, ſiue alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba proferantur, ſiue aliquid, quod

vel recordanti nō occurrit, vel quod ex aliis, quæ dicuntur, poſſit intelligi, minus dicatur, ſiue ad illuminandam, declarandamq́; ſententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat.

37 Et poſt pauca: Ad doctrinam fidelem maximè pertinet, non tam verborum, quàm rerum quærendam, vel amplectendam eſſe veritatem, quando eos, qui non eadem locutione vtuntur, cùm rebus, ſententiiſque non diſcrepant, in eadem veritate conſtitiſſe approbamus.

38 Diuus Ambroſius libro De paradiſo, cap. 12. Pura & ſimplex mandati forma ſeruanda, vel teſtimonij ſeries intimanda eſt. plerunque teſtis, dum aliquid ad ſeriem geſtorũ ex ſuo adiicit, totam teſtimonij fidem partis mẽdacio decolorat. nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum

dendum eſt, quod quidē malè ſeruant ſcribæ, ac tabelliones, qui ſæpiſſimè teſtium verba permutare, peruertere, atq; producere, & exornare ſolent.

39 Teſtes qui eundem, præmeditatumque ſermonem afferūt, ſuſpecti admodum ſunt, quia videri poſſunt ad perhibendum eiſdem verbis teſtimonium, antè coniuraſſe, quamobrem theologi & iuriſperiti eam ſuſpitionem dignam eſſe notatione docent, Chryſoſt. homilia 1. in Matthæum, & illic Theophylactus in fine exordij. l. 3. §. 1. ff. de teſtib. Tho. 22. quæſt. 70. Decius conſil. 627. Pariſius conſilio. 55. lib. 4.

40 Quæri poteſt, qua pœna ſit afficiendus teſtis, qui iurauit, ſe celaturum teſtimonium, & poſtea retexit illud? reſpondi crimine ſtellionatus extra ordinem pro culpæ qualitate plectendum: nunc publica

pœnitentia: nunc pecunia, nunc exilio: quòd ſi res ipſa id poſtulare videatur, poterit recto iudicū arbitrio fuſtibus cædi, atque ad remos etiam damnari.l.3. & l.vl. ff. de crimi. ſtelliona.l.qui falſo,de teſtib. & ibi Floria.c.ſi teſtes, ꝶ.item qui falſo. 4.quæſt.3.glo.in l.ſi duo patrini, ꝶ.vlt.de iureiuran.

41 Teſtis debet dicere cauſam cognitionis, qua ſcit illud de quo teſtificatur: niſi ex ſuo teſtimonio cauſa cognitionis eſſet perſpicua. Nam ſi teſtis dixerit,ſe audiſſe reum dicentem aliquam hæreſim,non eſt opus, vt adiiciat, ſe ſcire, quia præſens fuit, nec enim audire aliter potuiſſet. Similia namque habent implicitam ac terminatam vnam propriam rationem cognoſcendi,aliud eſt, cùm atteſtatio non habet implicatam cauſam certam; qua mediante conſtet, habuiſſe teſtem veram

ram & certam cognitioné. l. ſolam. c. de teſtib.

Teſtes autem reddendo cauſam 42
ſuæ cognitionis, vel ſcientiæ, non poſſunt excedere fines rerum ſenſibilium. quoniam omnis noſtra cognitio cauſatur à ſenſu, ſed quantũ ad teſtimonium ipſum, nihil impedit quo minus poſſint examinari ſuper rebus intellectualibus, quæ ſenſu per ſe primo nõ percipiuntur: & eorũ teſtimonium fidem faciet, dummodo demonſtret modum, & inſtrumentum, quo potuit intellectus teſtium percipere rem, quam refert, hoc eſt factum aliquod particulare, & ſenſibile eius, cuius demonſtratio deſideratur.

Quamobrem teſtes periti rectè 43
teſtificantur de his, quæ ſola ratione diſcurrente, & ex arte, longáue experientia cognoſcunt: ea enim in cognitionem eorum peruenerunt,

& eorum ſcientiam habent, vt rectè tradit Engenerius in l.1. ff. ſi cer. peta.

44 Ratio autem à teſte aſſignata, debet neceſſariò concludere; vt integrum ſit pondus teſtimonij. Nam qui dicit, ſcio, quia ſum vicinus, non plenè concludit: quia loco cauſæ aſſignat occaſionem: non enim vicinitas cauſa eſt, ſed occaſio ſcientiæ: Nam diſpoſitio eſt ad conuerſationem, & conuerſatio eſt occaſio cognitionis, quæ eſt cauſa ſcientiæ, & ſæpiſſimè vicinus neſcit ſecreta vicini. idemque cenſendum eſt de cauſis, vel occaſionibus ſimilibus.

De retractatione teſtium.

TIT. XXXVI.

1 Si teſtis moriés, aut alia ex cauſa teſtimonium retractauerit: vtri teſtimonio fides adiungéda eſt? plerique

rique omnes aiunt, priori fidem habendam. l.generaliter.c.de non nume. pecu. c. ſicut de teſtib. Bar. in l.eos. ff. de falſis, Abbas, ac Decius in c. per tuas, de probat.

Habet ea ſententia probabiles 2
rationes, ac ſatis idoneas. Primò, quia prius teſtimonium iuratum, & coram iudice perhiberi ſolet: poſterius non item. Deinde ſi in poſteriore iurauerit, hoc ipſo planè cõſtat, eum eſſe periurum, atq; adeo fidem ei adhibendam non eſſe, ad hoc ex priori teſtimonio iam eſt ius adquiſitum, quod idem teſtis auferre nequit. Poſtremò, teſtimoniũ poſterius non caret ſuſpitione ſubornationis, ſicuti Demoſthenes obiecit Lampidi teſti, oratione aduerſus Phormionem.

Sed quamuis vt plurimum hæc 3
ita ſint, in cauſa tamen hæreſis, nõnunquam poſteriori teſtimonio

magis credendum eſt, ſcilicet cùm apparuerit manifeſtis indiciis, teſtẽ non leuitate, aut odio, non prece, aut pretio: ſed iuſta ex cauſa correxiſſe teſtimoniũ prius .c. accuſatus. §.licet, de hæreti. lib. 6. Curtius ſenior conſ. 69. Couar. libr. 2. reſolu. cap.13.

4 Nec audiendi ſunt, qui putant, eo duntaxat caſu id accipiendũ eſſe, cùm poſterius teſtimonium eſt cõtra reum in fauorem fidei: Nam etſi eam ſpeciem lex expreſſerit, mens tamen legiſlatoris aliud proculdubiò vult. æqualitas enim iuſtitiæ ſeruanda eſt inter accuſatorem & reum; quin etiam reis fauorabiliores eſſe debemus: & ad abſoluendũ, quàm ad condemnandum proniores, dicto §.licet. l. ſcire, ꝟ. aliud. ff. de excuſat. tuto. l. vlt. c. de fruct. & lit. expen. l. fauorabiliores, de regul. iuris. l. Arrianus, ff. de actio. & ob-

& obligat. l.abſentem, de pœnis.

Magna quidem præſumptio pro 5
poſteriori teſtimonio erit, ſi teſtis
moriens, pro exoneratione ſuæ cõ-
ſciẽtiæ illud perhibuerit. quis enim
credat, eum tunc peierare, ac fal-
ſum teſtimonium dicere, cùm ſalu-
bri pœnitentiæ locus non relinqui-
tur? quandiu hic ſumus, anima vo-
luptatum illecebris delinita, triſtia
ægrè admittit animo: cùm verò
migratura ex corpore eſt, tunc iam
maiore continetur metu; quippe
quę ad ipſa iudicij peruenit limina:
cùm enim pulſare animam metus
mortis incipit, ignis inſtar, præſen-
tis vitæ, omnia ſuccendens, philo-
ſophari eam cogit, & futura ſolicita
mente verſare, vt Chryſoſto. inquit
in epiſtola 2. Pauli ad Timo. homi-
lia. 5. Roma. & Igneus in l. ſi quis
graui, §.1. ff. ad Syllani Hippolyt. in
practica. §.reſtat.

De teſtibus ſingularibus.

TIT. XXXVII.

1 TESTES ſingulares, id eſt, varij, atque diuerſi, plenam probationem non faciunt: niſi duo ſaltem eorum concordes ſint. c. licet cauſam, de probat. c. licet vniuerſis, de teſtib. Lupus allegat. de hæreſi, §. 12. Alberti. in c. 1. de hæreti. lib. 6. quæſt. 16. Pariſius conſ. 2. lib. quarto.

2 Qua in re partitio à Baldo tradita conſenſum ferè omnium meruit. is enim ait, ſingulares teſtes, vel cõtrarios eſſe, vel animo diuerſos, vel ferè ad eundem finem tendere. qui contrarij ſunt, fidem ſibi ipſis abrogant: ſunt enim eorum teſtimonia, ſeſe refellentia, & inter ſe collidentia: quamobrem interdum puniuntur, vt falſi. Bal. in c. licet cauſam, de probat. Danielis 13. c. ex tenore. c. cùm cauſam, de

teſtib.

teſtib. Aymo. de antiquitate, parte 4. §. ſedenim.

Teſtes autem ſingulares prorſus 3 diuerſi, etſi plurimi ſint, pro vno ſolo habentur: quia vnus dumtaxat de re qualibet teſtificatur. c. nihilominus. 3. quæſt. 9. Bal. in l. iuriſiurandi. c. de teſtibus. Decius conſ. 649.

Sed ſi teſtes ſingulares de rebus 4 cōnexis, ſiue affinibus, & quæ quodammodo ad eundem finem tendunt, teſtimonium perhibuerint: quamuis integram probationē non faciant, plus tamē quàm dimidiam, ſiue quàm ſemiplenam efficient. Bal. in cap. licet cauſam. de probat. Feli. in c. licet ex quadam, de teſtib. Decius conſ. 650. Aymo. conſ. 35. & 78.

Ad probandam rem continuam, 5 ſatis eſt, quòd teſtes de ſingulis illius partibus teſtificentur, verbi

gratia,

gratia, ad probandum, quòd quiſpiam ſacrificium miſſæ obtulit, ſufficiunt teſtimonia de principio, de medio, de fine. quia in toto conueniunt omnes, glo. in c. nihilominus. 3. quæſt. 9. Felinus citans plurimos in c. licet ex quadam, de teſtib.

6 Sunt qui putant, teſtibus prorſus ſingularibus probari poſſe, aliquem hæreticum eſſe; ſed ea opinio eſt euidenter falſa: quia niſi ſpecies hæreſis probata ſit, non erit probatum hæreticum eſſe reum, nec erit conuictus de aliqua illarũ, nec propterea condemnari poteſt. iure igitur ac meritò ea opinio exploſa eiectaque eſt. Bal. conſ. 394. lib. 2. Sali. in l. teſtium. c. de teſtib. Alex. conſ. 72. lib. 1. Decius in c. licet cauſam, de probat. & innumerabiles alij.

7 Illud verò eſt ineptiſſimũ, quod aiũt quidam: teſtibus ſingularibus probari poſſe, aliquem hæreticum eſſe

eſſe in genere,quaſi verò fieri poſſit, vt quiſpiam in genere ſit hæreticus. homo generalis ſub oculos non venit,ſed ſpecialis venit,vt ciuis meus Seneca inquit, epiſt. 59. Indiuiduũ ſiue forma genus eſſe non poteſt. & vt rectè Alciatus ait,Probatio in genere nuſquam eſt. lib.10.parergôn. cap.16. confert.l. ſi peculium. ff. de manu. teſta. Titelmãnus lib. 1. dialecticæ conſiderationis.cap.7.

Ex quibus aliiſque noſter Sar- 8
mientus Iuriſconſultus illuſtris, rectiſſimè confutat modum loquẽdi eorum,qui aiunt, eſſe quandam vltimam voluntatẽ in genere. quamuis exiſtimari queat,illos magis locutos eſſe impropriè, quàm omnino aberraſſe. Nam eorum mens eſſe videtur, illam vltimam diſpoſitionem innominatam, retinere nomẽ generis, & appellari vltimam volũtatem: ſicut reſpublica popularis ſpecia-

ſpeciali nomine carẽs, cunctarũ cõmuni vocabulo reſpublica nominatur, Ariſt. 4. Polit. cap. 7. Sarmientus li. 2. ſelectarũ interpretationũ cap. 5.

9 Cùm teſtes in eadem hæreſi probanda concordes ſunt, ſed eam quiſque audiuit vario loco, vel diuerſo tempore, ſi alioqui ſint fide digni, credendum eſt eis, & plenam probationẽ faciunt, maximè ſi plures ſint, & veriſimilia dixerint, quia tempus & locus nõ ſunt circũſtantiæ neceſſariæ, neque plurificãt hæreſim ſæpius dictam, & continuatam. hæc eſt ſententia quorundam iuris peritorum, quibus aſſentio. Sali. in l. teſtium. c. de teſtibus. Bruni. lib. 4. de hæreti. cap. 9. Alberti. de aſſertioni. catho. quęſt. 34.

10 Accedunt illę quoque cauſæ, quia diuerſitas teſtium in alio quàm in ſubſtãtia, non derogat eorũ fidei, vt ſuprà dixi: & quia perinde facit hęreticus,

reticus, qui eandé hęreſim diuerſis locis, ſingulis teſtibus dicit, atq; fur aliquis idé furtũ variis in locis oſtédés teſtibus ſeparatis, qui nihilominus eorũ teſtimonio conuinci poteſt, quæ vera, & recepta doctrina Bartoli eſt. Poſtremò abſurdũ admodum eſſet, vt ſeductor quiſpiam ſingulos homines toti⁹ populi ſeorſum doceret aliquam hæreſim, & tamen vniuerſorũ teſtimoniis conuinci nequiret. Bart. in l. inficiãdo, ſ. infans, ff. de furt. per illum textũ.

Sed & illa ſentétia plurimorũ eſt, 11
& mihi vera videtur, quòd ſi multi teſtes ſingulares ad eundem finem tendunt, & fide digni ſunt, & veriſimilia dicunt, poteſt iudex integram fidé illis adiungere, illius enim arbitrio relinquitur, quantã fidé teſtibus habere debeat. l. 3. ſ. 1. l. ob carmen, ſ. vlti. ff. de teſtib. Paul. & Caccialupus in l. admonédi. ff. de iureiurã.

Brunus

Brunus de iudicis, col. 3. Socinus conſ.262.lib.2. Cæpolla conſ.3. Decius conſil. 163. Curtius iunior cõſ. 106. Aymo. conſ.78. Hippolyt. ſingulari. 114. & in l. 1. ſ. ad quæſtionem. ff. de quæſt. Tiraquel de pœnis, cauſa 51. nu.106. Syluanus conſilio. 36.

12 Itaque ſi talia teſtimonia ſingularia ſint de hęreſibus variis, ſed annexis, & concatenatis, & quæ ab eodem fonte manant, verbi gratia, de articulis variis Lutheranorum, ſacramentariorum, vel anabaptiſtarum: plena fides (vt antè dixi) eis haberi poſſet, non vt probarent aliquem hæreticum eſſe in genere, id enim ridiculum eſt, ſed eſſe Lutheranum, ſacramentarium, anabaptiſtam, atque hoc ſenſu verã eſſe exiſtimo eorum opinionem, qui aiũt: teſtibus ſingularibus probari poſſe quempiam hæreticũ eſſe in genere, acci-

accipientes genus, pro ſecta cōplectente plures connexas hæreſes. nec enim veriſimile eſt, tot doctos homines tam pueriliter erraſſe. Butrig. in l. Arriani. c. de hæret. Iacob de Aretio. in l. teſtium. c. de teſtib. Bal. in c. cùm omnes, de conſtit. Ioan. Imola in c. cùm oporteat, de accuſa. Lup. ſenior tractatu de hæreti. cap. 12. Curt. de teſtib. concluſ. 37. Albert. in c. 1. de hæreti. lib. 6. quæſt. 16. nu. 51. Aymo. conſ. 78. & tractatu de antiquitate, parte 4. §. ſed enim.

De falſis teſtibus. TIT. XXXVIII.

SI quis alius teſtis peſtifer, & 1
exitioſus eſt, is profectò maximè, qui catholicum hominem, hæreticũ eſſe teſtatur: quia ſub religionis prętextu innocentẽ infamat, eumq́; grauiſſimo diſcrimini exponit: quia cùm falſum teſtem cognoſcere ne-

queat, vix eũ refellere poterit: quas ob res maiori ſupplicio afficiendus eſt.

2 Itaque falſus teſtis talionis pœna plectendus eſt, ea videlicet, qua reus puniendus erat, ſi obiectum crimen commiſiſſet, ac planè probatũ eſſet. Deut. 19. l. 1. §. 1. ff. de ſicariis. c. hæc imago. 33. quæſt. 5. Danielis 13.

3 Falſus igitur teſtis, qui innocentem opprimere tanquam hæreticũ voluit, relinquendus eſt curiæ ſeculari, vt puniatur tanquam hæreticus, qua de re diploma Leonis decimi extat, quo permiſſum eſt inquiſitoribus, vt eiuſmodi teſtem iudici ſeculari relinquere poſſint, irregularitatis ſecuri.

4 Sed quamuis ſummo iure hæc ita ſint, benignius tamen eſt, vt is dumtaxat curiæ ſeculari relinquatur, qui notabiliter nocuit, vel nocere voluit, falſo teſtimonio in cauſa ipſa

ſa ipſa hæreſis. Nam qui non adeò
exitioſus fuit, & qui in obiectorũ,
vel defenſionum probatione peie-
rauit: pœna arbitraria pro criminis
qualitate puniendus eſt. Angel. &
Iaſon in l.ſi duo patroni, §.vlti. ff.de
iureiuran. Socinus ſenior conſ. 103.
ſeq. lib. 1. Ioa. Bernar. in practica.
cap. 87.

Quæri ſolet, an filij, & nepotes 5
falſi teſtis combuſti, eiſdem pœnis
afficiantur, quibus filij, atque ne-
potes hæreticorũ? Sed cùm id nullo
iure ſancitum ſit, & leges pœnales
nõ ſint producẽdæ, relinquitur pla-
nè, poſteros illorum ab illis pœnis
eſſe immunes. c. pœnæ. de pœnit.
diſtin.1. Alfonſ. Caſtr. lib. 1. de po-
teſtate legis pœnalis cap.7.

Sed vtrum falſus teſtis veniam 6
petens excipiendus ſit gremio ec-
cleſiæ, ſicut hæreticus pœnitens?
Et verius eſt tali teſti parcendum nõ

eſſe: tum quia ſoli hæretico pœnitenti ius illud ſingulare conceſſum eſt, tum etiam, quia is quem falſo teſtimonio damnabat, veniam petere nõ poterat eius criminis, quod non commiſit. itaque vt impœnitens puniendus erat. iure igitur id pati debet falſus teſtis, quod fratri ſuo facere cogitauit. Deut.19. Ioan. Platea in l.1. c. de grege Domini, lib.11. Bal.in l.vlti.c. de accuſat.

7 Cæterùm, ſi falſus teſtis, re integra ſeipſum detulit, mitius cum eo agendum eſt, & eò magis, ſi participes eiuſdẽ criminis iudicibus indicauerit. hòc enim, & publicè intereſt, & legibus & exemplis comprobatur. l.1.c.de his qui ſe defe. libro 10.l.1.de deſerto.& occulta.lib. 12.l.quiſquis,§.vlti. c.ad leg. Iuliam maieſta. Igneus in l.3.§. ſi ex ſtipulatu.ff.ad Syllania.

8 Talionis quoque pœna plectendus

dus eſt, qui pretio, aut prece falſum teſtem corrupit: & qui alij mandauit, vt id ipſum committeret, quinimo is magis delinquit, quàm teſtis: quia initium rei præſtitit, & alium peccare fecit. l. non ideo. c. de accuſat. l. non ſolum, §. ſi mandato meo, & ibi Bart. ff. de iniur. c. mulieres, ſ. 1. & illic Feli. de ſenten. excommuni. Clem. 1. de pœnis. l. is damnum dat, qui iubet dari. ff. de regul. iuris, & inibi Decius, & cæteri.

Beatus Auguſtinus in Pſalmū 36. 9
diſputans de cuſtodibus Dominici ſepulchri, qui accepta copioſa pecunia pro falſo teſtimonio, dixerunt, Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormiētibus: quanta, inquit, cæcitas in falſis teſtibus. Solent hoc enim pati falſi teſtes, vt excæcentur, & contra ſe dicant neſcientes vnde appareat, quòd falſi ſunt teſtes. quid enim

illi contra ſe dixerunt? *Cùm dormiremus, venerunt diſcipuli eius, & abſtulerunt eum*: quid eſt hoc? quis eſt, qui dicit teſtimonium? qui dormiebat: talibus ergo narrantibus non crederem, nec ſi ſomnia ſua mihi indicarent. ſtulta inſania: ſi vigilabas, quare permiſiſti? ſi dormiebas, vnde ſciſti? Matth. vlti.

De libris & ſcriptis.
TIT. XXXIX.

1 NON ſolùm confeſſionibus, ac teſtibus Promotor fiſcalis reum cõuincere poteſt, verumetiam libris, & ſcriptis. Nam ſi quis hęreſes ſcriptis ſuis aſſerat, easque libris defendat, non minus hæreticus pertinax eſt, quàm ſi verbis eas protulerit: quin etiam tãto pertinacior videri poterit, quanto maiore cum deliberatione ſcribere, quàm loqui ſolemus. Cõfirmat hanc ſententiam Iuſti-

Iuſtinus ille martyr, qui in prima quæſtione gentibus poſita, inquit: Impium eſt etiam ſola cogitatione indigna de Deo ſentire: ſi verò ad huiuſmodi impietatem, quam ſola opinio, & cogitatio pariat, etiam oratio, & aſſenſio addatur, maior impietas efficitur: ſi & aſſeratur, & ſcripto enuncietur, neceſſariò omnem malitiam, & vitium talis impietas complectitur.

Et in ea quidem ſpecie defendi 2
poteſt opinio quorundam iuriſperitorum, ne ſtulta ſit, & abſurda, aiunt enim, Si libri hæreſum reperiantur apud aliquem, hoc ipſo probari plenè illum hæreticũ eſſe. hoc inquam, locũ habere poterit, cùm libri compoſiti ſunt ab eo, apud quem inueniuntur, cap. vltimo. 24. quæſtione ſecunda, Archidia. Ioan. And. & Domini. in c. filij. de hæreti. lib. 6. Roma. ſingula. 323. Anania in

c. ſi quis epiſcopus, de hæreſi. Hippolyt. in l. qui falſam. ff. de falſis, & in pract. §. diligenter. & conſ. 52. Gratus conſ. 151. libr. 2. Carerius de hæreti. nu. 125.

3 Neque id ſolùm ſufficiet, niſi fateatur inſuper librum à ſe factum, & à ſe, vel ab alio, ſe dictante ſcriptum, & nullam iuſtã cauſam reddere poſſit, quæ ab hæreſis crimine tueri eum queat. Nam ſi quid horum deſit, non erit planè conuictus. Authen. contra qui propriam. c. de non nume. pecu. l. lex Cornelia, ſſ. ſi quis librum. ff. de iniuriis.

4 Quòd ſi negauerit libellos hęreſum in ſua domo inuentos, à ſe cõpoſitos eſſe: oſtendere debet eorum auctorem, aut ipſe reputabitur auctor. Nam qui libros ſine nomine auctorum habuerint, niſi prodiderint auctores, pro auctoribus habebuntur, vt in concilio Tridentino

ſeſſio-

ſeſſione 4. prope finem decretū eſt. adde l.1. c.de famo.libel.

Si libri hæreticorum reperti fuerint apud quempiam: ex illius, & ex librorum qualitate, aliisque circunſtantiis, vel erit vehementer ſuſpectus; vel leuiter, vel ne ſuſpectus quidem: id enim arbitrio iudicum relinquendū eſt. Ioan. And. & Domini.in c.2.de hæreti.lib.6.Matthę. in conſtit.regni Neapol.tit.1.quęſt. 10.Feli.in c.ſi quis epiſcopus,de here. Gonſal. quæſt.13. Albert. de aſſertio. catho. quæſt.28. Godofre. in l.damnato. c.de hære. 5

Animus inuiſibilis eſt, & occultus, & non poteſt niſi ſignis extrinſecis demõſtrari, & cognoſci. Signa verò potiora, & præcipua ſunt verba, quibus planè manifeſtus fit animus ipſe, quoniam ſunt earū paſſionum notæ, quæ in animo ſunt; libri autē & ſcripta nihil aliud con- 6

tinent, quàm verborum, & animi notas chartis impreſſas: & ſicuti lingua eſt interpres animi (vt inquit Horatius) ſic & calamus eſt animi interpres. Sic Zacharias cùm loqui non poſſet, accepit pugillarē, & ſcripſit, dicens: *Ioannes eſt nomen eius.* quæ verba verſans diuus Ambroſius, inquit: Zacharias nutu interrogatur, ſed quia incredulitas ei affatum eripuerat, & auditum, quod voce non poterat, manu & literis eſt locutus: vnde apparet, quòd qui ſcribit, etiā ſi lingua loqui nequeat, loquitur tamē calamo. & alibi Dauid inquit: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, Lucæ 1. & Pſ. 44.

7 Ex libris & ſcriptis ſolis poteſt quiſpiam conuinci, ac damnari, quemadmodum Nicolaus primus ad Michaelem imperatorē epiſtola 8. his verbis ſcripſit: Ad cognoſcendam & condemnandā impietatem Neſto-

Neſtorij, ſancta Epheſina ſynodus ſolam epiſtolá eius, quam ad beatum Cyrillum ſcripſerat, recitatam ſufficere credidit. quinta præterea ſynodus, etiam iam mortuos, Origenem, atque Theodorum, per eorum damnanda ſcripta, non rectè ſapuiſſe repertos, anathemate perculit. ſanctus quoque Papa Gelaſius de dánatione Achacij, veſtrę quondam epiſcopi vrbis, ad Dardanios ſcribit, dicens: Hic ſi examinatio quæritur, iam iudicio nõ erat opus, poſtquam literis ſuis ipſe confeſſus eſt. Chriſti prætereà confeſſor Papa Martinus Cyrrum Alexandrinum, Sergium, Phyrrum & Paulũ Conſtantinopolitanos, ſolis eorũ in ſua ſacra ſynodo ſcriptis recéſitis, damnationi contradidit. hæc ille.

Perquam raró quidem damnari poſſunt ſcripta, hæreſes & errores continentia, & eorũ auctor abſolui: 8

nec

nec enim culpa ſcriptorum eſt, ſed auctoris: & quoties damnantur hęreſes, toties damnantur auctores. c. ſancta.15.diſtin.

9 Nec obſtat exemplum Abbatis Ioachim. quia conſtabat de bona illius intentione: putabat enim ſe defendere trinitatem cõtra quaternitatem. ad hoc, errauit ſine pertinacia in materia de trinitate, qua nihil eſt difficilius. deinde ſcripta illa ſummo pontifici adſignari mãdauit, apoſtolicæ ſedis iudicio approbanda, ſeu etiam corrigenda. demum contentus nõ fuit generali proteſtatione, ſed præterea dictauit epiſtolam, cui propria manu ſubſcripſit; in qua conſtanter fuit confeſſus, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet eccleſia, quæ diſponente Domino cũctorum fidelium mater eſt, & magiſtra. itaque fieri nõ debet regula ex caſu particulari

tot habente circunſtantias, c. 2. de ſumma trinitate.

Cùm autem malè ſcripta, malè 10
præmeditata fuiſſe præſumantur: quia nemo credendus eſt ſcripſiſſe, quod non prius mente agitauerit, & reo incumbat onus probãdi ſuas exceptiones, ac defenſiones: planè relinquitur, non eſſe credendũ reo, qui hæreſes & errores ſcripſit, ſi fortè dixerit, ſcripſi referendo, ſcripſi ad confutandum, ſcripſi ad reuidẽdum, & nondũ ſcripta perfeceram, vel nondum vltimam manum appoſueram: nondum plenè reſolueram: ea enim omnia, atq; id genus alia, niſi à reo probentur, verba dũtaxat ſunt generalia, & quæ facilè à quocunque hæretico dici poſſunt.

Quòd ſi fortè dixerit reus: Volo 11
in chartulis meis quaſlibet ineptias ſcribere, commentari de ſcripturis, remordere lædẽtes, digerere ſtoma-

chum,

chum, in locis me exercere communibus,& quaſi limatas ad expugnã-dum ſagittas reponere, quãdiu non profero cogitata, malè dicta, non crimina ſunt, immò ne male dicta quidẽ, quæ aures publicæ neſciant. quæ verba ſunt beati Hieronymi ad Pammachium epiſtola 101.

12 Reſpondendum eſt, diuum Hieronymum nõ defendere ſcripta hæretica, neque ſuſpecta de hæreſi, talia enim nũquam ille ſcripſerat; ſed ſolummodo excuſat ibidem exercitationes licitas nondum emendatas: vel ad ſummũ excuſat ineptias, quas credo talem virum non ſcripſiſſe.

13 Illam quoque exceptionem (mihi ſoli ſcripſi, non vt aliis ederem) explodit idem diuus in apologia aduerſus Ruffinum, dicens: Nouum malitiæ genus ſcribere, quod occultes: intemperantis eſſe arbitror

ſcri-

ſcribere quidquam, quod occultũ velis. dic, oro te, celandas ſchedulas ſcripſeras, an prodendas? ſi vt celares, cur ſcripſiſti? ſi vt proderes, cur celabas?

Accedit eodem concilium Tridentinum, vetãs, vt nemo ſcripturam ſacram ad ſuos ſenſus contorqueat, neque contra ſenſum eccleſiæ, aut contra vnanimem conſenſum patrum, eam interpretari audeat: etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent, ſeſſione 5. 14

Si prauæ ſchedulę quamuis non correctæ, reperiantur apud alios, etiamſi nõ conſtet, reum eas cõmunicaſſe, vide quid in ſimili caſu diuus Hieronymus in apologia obiiciat Ruffino: Si nondum (inquit) emendatæ, nec ad purum digeſtæ erant ſchedulæ, error earum non Euſebio imputabitur, ſed moræ ac tardi- 15

tarditati tuæ, qui emendare ceſſaſti. & paulò pòſt: Scriptæ ad purum nō erant ſchedulæ, & emendandos errores tuos iam alij poſſidebant, ſentis ne, non hærere inter ſe mendacium.

16 Quid ſi reus in ſchedulis ſuis non indicauit errores? quid ſi auctores impios occultauit? vehemēti quidē ſuſpitione vrgebitur. Nā ſicuti B. Hieronymus in eadē apologia ſcribit: Mala oſtendere, interdum non docentis eſt, ſed vetantis: vt caueat lector, non vt ſequatur errores, vt nota contemnat, quæ nōnunquam ignota miraculo ſunt.

17 Quòd ſi dixerit reus, alibi ſcripſi catholicè, alibi veritates erroribus contrarias docui, alibi plenius rem tractaui, & catholicè declaraui: nec exceptiones iſtæ, quáuis ab eo probētur, diluere poſſunt eius culpam, quia hęc oportuit facere, & illa non commit-

committere; & quia ſi ſemel aſſeruit, & ſcripſit hæreſes, tunc hæreticus pertinax fuit, nec admodum refert, ſi antea, vel poſtea, vel omni alio tempore catholicè locutus fuit, aut rectè ſcripſerit, niſi ad eccleſiæ ſinum redierit, & errores ſuos fuerit confeſſus.

Plurima exempla extant nouorũ, 18
ac veterũ hæreticorum, qui non ſolùm dixerunt, & ſcripſerunt multa catholica, ſed etiam pro defenſione fidei orthodoxæ plures libros cõtra alios hæreticos ediderunt, & tamen quia in aliquas hęreſes lapſi ſunt, nõ ideò minùs hęretici ſunt habiti, nec id iniuria: cùm vel vna ſola hæreſis ſatis ſuperque ſit ad efficiendũ hæreticũ conſummatũ. l.2.c.de hęreti.

Habent hoc hæretici propriũ, vt 19
malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant. ſi enim ſemper praua dicerẽt, citius in

ſua prauitate cogniti, quod vellent minimè perſuaderét: rurſum ſi ſemper recta ſentirent, profectò hęretici non fuiſſent. ſed dum fallendi arte, ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abſcondunt: ſicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit: dumque hoc quod dulce eſt, primo attactu delibatur, etiã illud, quod eſt mortiferũ, indubitanter abſorbetur. hęc diuus Gregorius lib. 5. in Iob. ca. 10.

10 Quòd ſi quiſpiam ſemel & iterum eoſdem errores ſcripſerit, manifeſtior erit eius impius animus. Nam vt ſanctus Chryſoſtomus ait: Qui denuò repetit eadem, declarat ſeſe iudicio locutum, ac prius animi cõſilio fuiſſe decretum, & comprobatum, atque ita demum voce proditum. hæc ille in caput primũ epiſtolæ ad Galatas.

Ac mul-

Ac multò magis declarat iudi- 21
cio, & animi conſilio fuiſſe decretum, & comprobatũ, id quod reus ter, aut pluries ſcripſerit: cùm perſpicuum ſit, quòd cum maiore mora, deliberatione, atque labore ſcribere, quàm loqui ſoleamus, & quòd ex abundantia cordis eadem ſæpe repetita eſſe videantur.

Libri hæreticorum comburen- 22
di ſunt, & eorum poſſeſſores pro menſura criminis damnandi, vt prolixiùs in catholicis inſtitutionibus retuli. ad combuſtionem verò librorum ſummaria cognitio ſufficit: ipſi enim quodammodo ſua voce ſe produnt, ſemperq́; loquuntur errores: quin etiam damnato auctore, hoc ipſo eius libri damnati ſunt. l. Arriani.c.de hæreti.c.fraternitatis.de hæreti. Alfonſus lib.2. de iuſta hæreti.punit.cap.15.

De præſumptionibus.

TIT. XL.

1 PRAESVMPTIONIBVS quoque iuuari poteſt promotor fiſcalis: nõ vt illæ ſolæ ſufficiant, ſed vt alias probationes adiuuent, & probabiliores efficiãt: incerta enim pro certis iudicãda nõ ſunt, neq; præſumptionibus quiſpiã damnari poteſt. c. literas, de præſump. c. ſi quis diuinis, cũ ſeq. 30. quæſt. 5. c. Deus omnipotens. 2. quæſt. 1.

2 Culpę quæ ſignis, aut cõiecturis deprehenſæ videntur, feriendæ adhuc non ſunt, & crimen quod apertis quibuſdam indiciis noſcitur, antè iudicandum non eſt, quàm apertiſſimè demonſtretur. hæc diuus Gregorius in libro 1. Reg. c. 14.

3 Eſt autem præſumptio rei dubię coniectura veriſimilis, quæ ex naturali cauſa, vel circunſtantiis negotiorum, aut perſonarum proficiſci-

ciſcitur. hanc iuris periti diuidunt in præſumptionem iuris & de iure, & præſumptionem iuris tantùm. Priorem ita definiunt, vt ſit legis diſpoſitio aliquid præſumentis, & ſuper præſumpto tanquam ſibi comperto ſtatuentis. Hęc verò ab apertis & violentis indiciis proficiſcitur, & contra illam non recipitur probatio: quia pró manifeſta veritate habetur.

Huius præſumptionis exempla 4
in propoſito ſunt: ſuſpectus, & infamatus, qui tempore mortis petit conſolationem ab hæreticis ſecundum eorum conſuetudinem, condemnatur à iure tanquam conſummatus hæreticus: quod idem locum habet in quibuſuis aliis, qui ſecundum ritus hæreticorum, Iudæorũ, aut Mahumettanorum mori, ac ſepeliri voluerint. ille quoque à iure præſumitur eſſe relapſus, qui poſt

abiuratam hæreſim acceptat, deducit, viſitat, & comitatur hæreticos, vel munera eis mittit, vel eis quoquo modo fauet. c. accuſatus, §. ille quoq;. cap. filij. cap. cõtra Chriſtianos, de hæreti. lib. 6.

5 Eodem ferè pertinent violẽtę pręſumptiones ex indubitatis indiciis prouenientes, quæ ad aliud trahi nõ poſſunt, quàm ad id quod indicãt: illæ enim (vt quibuſdam iuris peritis placet) pro iuſtis probationibus ſunt habendæ, quales ſunt: hæreticos adorare; ritus, ieiunia, & orationes, aliasque cæremonias impiorum facere: quæ non niſi ad manifeſtã hæreſim, vel apoſtaſiam trahi poſſunt. eſt autem indicium apertum, tale ſignum facti, quod vrgeat animum boni, & conſtantis viri, ad rem planè credendam. Archid. Ioan. And. Domini. & cæteri in c. 2. de hæreti. lib. 6.

Cùm

Cùm enim cęremoniæ ſint ritus 6
quidam externi ad cultum diuinū celebrandū: relinquitùr inde, quòd talem quiſque religionē tenere creditur, qualibus cæremoniis vtitur. Vnde ſi quis Mahumettem, aut eius cineres, vel aliquem hæreſiarcham adorauerit, vel cæremonias hæreticorum ſeruauerit, hoc ipſo illius ſectæ apoſtata, vel hæreticus eſſe conuincitur. c. filij. c. contra Chriſtianos, de hęreti. lib. 6. omnes doct. in c. 2. eiuſdem tit. Anania in c. excommunicamus, ſ. credentes, eodē tit. lib. 5. Lapus Butri. Ioan. Imol. in clem. 1. §. vlti. de vſuris. Syluester verbo hæreſis. 1. quæſt. 7. Squillacen. de fide catho. cap. 15. Arelatanus de hæreti. notab. 5.

Qua in re, aliiſque multis nota- 7
tione digna eſt partitio Alfonſi noſtri dicētis: In quædā peccata proni ſumus ab adoleſcentia: vtputa, in

auaritiam, gulam, aleam, venerem, & id genus alia, & in hæc interdum ruimus etiam repugnante cõſcientia, capti voluptate, malorum omnium eſca: ſed interim nihil minus credimus, quàm ea licere. Alia ſunt peccata, quæ natura non appetit, quia nihil habent, quo illam allicere queant; quamobrem cùm ad peccata eiuſmodi voluntas indifferens, ac dubia ſit, conſulit intellectum, qui eſt voluntati à conſiliis: & in talibus nihil agere ſolet repugnante conſcientia, neq; ſpreto intellectus iudicio; quo fit vt in his criminibus error intellectus, atque adeò hæreſis facilè præſumatur: in illis verò non item. Alfonſus lib. 1. aduerſus hæreſes, cap. 1. & lib. 1. de iuſta hæreti. punit. cap. 1.

8 Cùm igitur homines natura proni non ſint ad cæremonias impiorum, quinimo cõtra naturalem inclinatio-

clinationem, & cōtra voluptatem, & appetentiam ſit, orationes diſcere, ieiunare, carnem ſuillam nō edere, neque vinum bibere; hi qui ſuſpecti alioqui fuerint, ſi eas cæremonias, eosve ritus ſeruauerint, pro conuictis habendi ſunt, c. vlt. 30. diſtin. concilij Bracarenſis canon. 32.

Præſumptio iuris eſt, probabilis 9
coniectura ex certo ſigno proueniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur: niſi enim contrarium probetur, pro plena probatione haberi ſolet. l. licet imperator, de legat. 1. Alciat. lib. 1. de præſumptioni. parte 3.

Præſumptionū verò aliæ violen- 10
tæ ſunt, aliæ probabiles, aliæ leues, aliæ temerariæ. ſed nos de his dumtaxat breuiter diſſeremus, quę in his cauſis nonnunquam incidunt, ac primum ex natione, & patria, vbi pullulant hæreſes, poterit præſumi

contra ſuſpectū, argu.l. quòd ſi nolit. §.qui mācipia. ff.de edili.edicto. c.ſi gens Anglorū. cū ſeq. diſtin.56.

11 Erit quoque pręſumptio contra filium hæretici, qui in domo patris fuit educatus: vt enim Fabius inquit, ſimiles parētibus ſuis filij plerunque credūtur, & nonnunquam ad honeſtè, turpiterq́ue viuendum inde cauſæ fluunt. Et Cicero libro 1. Offic. Plerunque parentum præceptis imbuti filij, ad eorum conſuetudinem, moremq́ue deducuntur, glo. in dicto ʃ. qui mancipia. Fabius lib.5.cap.10. Alfon.lib.2.de iuſta hęreti.punit. cap.8.

12 Fortiorq́; pręſumptio ſumitur ex educatione, quæ mores proculdubio facit. ſi enim quiſpiam cum hęreticis fuerit educatus, mirū erit, ſi ab eis nō fuerit coinquinatus: nihil ita pernicioſum, ac peſtiferū eſt, vt conſuetudo, & conuerſatio prauorum

rum hominum, Eccleſiaſt.13. Chryſoſto. in Matthæ. homilia 60.

13 Diuus Chryſoſtomus de comparatione regis, & monachi, Natura, inquit, comparatum eſſe videmus, vt cum quibus aſſiduè quis verſatur, horum mores ſimiles habeat. quo fit, vt propter familiaritatem ſcienter cum hæreticis habitam, efficiatur quis plus minusve ſuſpectus, pro perſonarum, locorum, ac temporũ qualitate, aliiſque circũſtantiis, & cogatur abiurare talem familiaritatem. c. inter ſollicitudines de purg. ca.

14 Ex malo homine facilius præſumetur hæreſis, quàm ex bono, lex ait. Ex perſonis hominũ dicta penſamus. & Cicero pro Cluentio: Perinde, vt opinio eſt, de cuiusq; moribus, ita quid ab eo factũ, & nón factũ ſit, exiſtimari poteſt. l. 1. c. ſi quis impera. maledi. Hoſtien. in ſumma tit. de

tit. de Iudæis, §. quibus. Lucas in l. quemadmodum. c. de agrico. & ſenſi.lib.11.

15 Sanctus Chryſoſtomus ſermone in dictũ Apoſtoli, *Nolo vos ignorare*, inquit: Sicut mala dogmata impuram inducere conſueuerunt vitam, ita & vita peruerſa, dogmatum peruerſitatem ſæpè parit. & idem diuus de verbis Pauli, *Habentes autem eundem ſpiritum*, homilia 2. Impoſſibile eſt, impoſſibile profectò, ſi vitam impuram habeas, in fide non vacillare.

16 Malè ſcripta, & malè dicta, præſumuntur malè præmeditata. humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. & vt quidam iuris conſultus ait: Nemo credendus eſt dixiſſe, quod non prius mente agitauerit. & Ariſtoteles, Sermones ſunt earum, quæ in anima ſunt paſſionum notæ. l. ſi quis extra-

extraneus.ff.de acqui.hære. l. ſi non cõuitij. c. de iniur.c.1.de preſumpt. c.humanæ aures. 22. quæſt.4. l. Labeo.ff.de ſupelle.lega.Lupus allegat. de hæreſi,§.7.cum ſeq.

Præſumptio vehemens eſt cõtra 17 eum, qui ſciens vtitur phraſi peculiari hæreticorum, & profanis eorũ nouisque vocibus, quia id prohibitum eſt à conciliis, & à ſanctis patribus; & quia recipere atque ſectari profanas vocum nouitates, nunquam catholicorum, ſemper verò hæreticorum fuit, vt ait Vincentius Lirinenſis in aureo ſuo libro aduerſus hæreticos, parte quarta.

Non præſumitur ſanæ mentis, 18 qui non habet memoriam ordinatam, quia vt Plato inquit in Philebo, Memoria eſt ſenſus conſeruatio, quo efficitur, vt qui memoria caret, non bene ſenſum conſeruet. c. filij, de hæreti. lib. 6. & inibi

inibi Domini. & Francus.

19 Illæ autem pręſumptiones fortiores ſunt, quæ veriſimiliores fuerint, vt rectè Baldus ait, nec enim aliud eſt præſumptio, quàm ratiocinatio de re veriſimili: & quòd veriſimile non eſt, habet quandam falſitatis imaginem, vt idem Baldus eſt auctor. c. quia veriſimile, de præſumpt. l. non eſt veriſimile, ff. quod met. cauſa. Bal. in l. 2. c. de ſicar. & in l. 1. de ſeruis fugiti. Tiraquel. in l. ſi vnquã. c. de reuoc. donat. in princip. nu. 37. cum ſeq.

20 Ex cõiecturis ad pręſumptiones deuenimus. Coniectura verò, vt inquit Fabius (lib. 3. cap. 7.) dicta eſt à coniectu, id eſt, directione quadam rationis ad veritatem.

21 Et quãuis propter coniecturas & præſumptiones nõ imponatur pœna ordinaria: propter eas tamẽ proceditur ad remedia extraordinaria, aliaſ-

aliaſque pœnas arbitrarias. Anto. Cardi. Felinus, & cęteri in c. afferte, de præſumpti. Lupus allegat. de hę-reſi, ſ. 11. Tiraquel. de pœn. cauſa 27.

Quamuis ſolis factis, non ſoleat principaliter animus demonſtrari: per accidens tamen nonnunquam perfectè, ſæpe verò minus perfectè, factis declaratur voluntas, & animus, & cogitatio. quia licet is, qui operatur, nõ intendat principaliter operatione ipſa docere, quia factũ eſt exequutio propoſiti, & finis intẽtionis agẽtis, & quid per ſemetipſum eligibilẽ: propterea tamẽ, quod formatur ad imaginẽ mẽtis, & aſſimilatur propoſito auctoris, q̄a producẽs producit ſibi ſimile, cõtingit cõmunicari ſibi ab agẽte, cũ ſimilitudine ſimul virtutẽ generatiuã intentionis eius: quoniã omnis imago reprę ſentat exemplar ſui, & omnis repręſentatio ſignificatio rei eſt: & 22

quidem

quidem parui refert, verbis an factis perducamur ad cognitionem volũtatis agentium, dummodo nobis innoteſcat adæquatè, & perfectè. l. de quibus, ff. de legib. Engenerius in l. cùm quid. ff. ſi cert. peta.

23 Hinc illud eſt, quod ſcripſit beatus Auguſtinus in Pſalmum 149. Quid attendo, quid ſonet, cùm video quid cogitet? & tu inquis, vides quid cogitet? facta indicant. Nam oculus in conſcientiam non penetrat, attendo quid agat, & ibi intelligo, quid cogitet. neque enim ſi quiſque, verbi gratia, comprehenderet hominem in furto, in homicidio, in adulterio, cogitationes ipſius in corde videret, ſed in factis. Sunt quædam quæ intus latent: ſed ſunt & multa, quæ procedunt in opera, & manifeſta fiunt etiam hominibus. non enim fructus oſtenditur, niſi in factis, vnde dictum

eſt:

eſt: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Matthæi 7.

Sanctus quoque Ioannes Chryſoſtomus inquit: Et quod non ſolùm verbis, ſed etiam factis quis neget Deũ, teſtis eſt Apoſtolus: *Deum fatẽtur ſe ſcire, factis autẽ negant.* quãto ſunt autem facta potentiora verbis ad perſuadendum, tanto factis, quàm dictis Deum negare ore, vel corde grauius. hæc ille in Pſalm. 13. ad Titum 1. 24

Facta loco teſtium haberi poſſunt, & nonnunquam teſtium irrefutabilium, quia præſumuntur cogitata, atque deliberata, multò magis quàm verba, facilius enim loqui quàm operari ſolemus. & Veritas inquit: *Opera quæ ego facio, teſtimoniũ perbibent de me.* & poſt aliqua: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ioan. 10. 25

De ſuſpicionibus.
TIT. XLI.

1 QVAE de præſumptionibus diximus, eadem ferè omnia de ſuſpicionibus dici poſſunt: quia ex eiſdem locis oriuntur, niſi quòd (vt rectè Baldus inquit) ſuſpicio minor eſt, quàm præſumptio, & ex ſuſpicione perueniri ſolet ad præſumptiones: & ſæpè ſuſpicari licet, præſumere non licet. Eſt verò ſuſpicio, opinio mali ex leuibus ſignis. Tho. 22. quæſt. 60. artic. 3. Bald. in authen. ſi quis. c. de adulte.

2 Sunt & ſuſpiciones leues, vehementes, & violentæ. De quibus cum Gerſone aliqua in propoſito diſſeremus. is enim tractatu de proteſtatione inquit: Suſpicio leuis prouenit ex ſignis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur coniectura, qua concludi poteſt, non quidem frequenter, ſed rarò,

rarò, ſeu caſu, quòd talia dicens, vel faciens hæreticus ſit, idque deducitur leui conſequentia: vt ſi argumétemur: ille peierat frequenter, ergo non bene credit in Deum.

Suſpicio vehemens ſumitur ex 3
ſignis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus ſumitur argumentum concludens frequenter, & vt plurimum, quòd talia dicens, vel faciens, eſt hæreticus: verbi gratia, ſi quis neget explicitè aliquas propoſitiones fidei, quas tenetur ex officio ſcire: is vehementer ſuſpectus eſt; quamuis fieri poſſit, vt talis negatio ex ignorantia, vel animi leuitate ſit orta.

Is qui varius, & ſibi contrarius, 4
& periurus eſt in cauſa hæreſis, præſumitur valde, ac vehementer ſuſpectus, vt Innocentius tertius decreuit. c. litteras, de præſumptionibus.

5 Violenta ſuſpicio eſt, quæ prouenit ex ſignis exterioribus, ex quibus concludi ſolet efficaciter, & ferè ſemper, quòd talia dicens, vel faciens, eſt hæreticus. Vt ſi quis propoſitiones hęreticas publicè aſſerat, vel cæremonias impiorum faciat. Nam etſi poſſibile ſit, quòd iſthæc ſine intellectus errore, aut ſine pertinacia dicantur, aut fiant: eccleſia tamen, quæ iudicat exteriora, præſumit violenter huiuſmodi homines hæreticos eſſe. Ad ſummam hi omnes de hęreſi poſſunt eſſe ſuſpecti, de quibus indicia aliqua extant, quod malè ſentiunt de fide catholica. Gerſon de proteſtatione, conſideratione vltima.

6 Quidam iuris periti putant, ſuſpicionē hęreſis elici poſſe ex ſignis, & indiciis leuibus, ſi modò plenè probentur: quod etſi detur, ſuſpicio tamen erit leuis, & indigna probatio-

bationibus. Innocen. in c. ſicut de ſimo. Ioan. And. in c. vt officium. §. 1. Ancha. in c. accuſatus. in princip. de hæreti. lib. 6. Felin. in ca. literas, de præſumptio. Brunus libr. 1. de hęreti. cap. 4.

Adde quòd leuia ſigna mouere 7
non debent animum viri prudentis ad ſuſpicandum tam graue crimen. Nam vt Cicero ad Quintũ fratrem ſcripſit: Vt quiſque eſt vir optimus, ita difficillimè eſſe alios improbos, ſuſpicatur. Enimuerò iniuria fit homini catholico, ſi ſuſpicemur ex leuibus ſignis, eum hæreticum eſſe, cap. eſtote, de regul. iuris. Tho. 2. 2. quæſt. 6. articu. 2. Caieta. in ſumma, verbo. ſuſpicio. Soto lib. 3. de iuſti. & iure. quæſt. 4. arti. 3.

Nec deſunt, qui ſcripſerint, pro- 8
pter leues ſuſpiciones poſſe inquiſitorem eouſque procedere, vt interroget, quid leuiter ſuſpectus de

fide ſentiat: ab eis tamen vehementer diſſentio: tum quia eorum opinio nullo iure probatur; tum etiam quia non leui iniuria afficeretur catholicus, qui pro ſuſpicione leui à iudice interrogaretur, quid de fide ſentiat, quaſi iuſtè ambigatur, an fidem catholicã teneat: quod quàm ſit acerbum, nemo eſt, qui non planè intelligat: errant ergo Matthęus in conſtit. Regni Neapol. tit. 1. col. antepen. Carerius, de hęret. nu. 116.

9 In omnibus verò ſuſpicionibus, & prçſumptionibus plurimum tribuendum eſt circunſtantiis perſonarum, & rerum; quædam enim ſufficiunt ad vehemẽtem ſuſpicionem de aliquo habendã, quæ alium virum probum, ſuſpectum nõ redderent, ne leuiter quidem. Gerſon de proteſtatione, conſideratione vltima. Victoria ſuper Tho. 2. 2. quęſt. 11. arti. 2.

Diuus Chryſoſtomus homilia de 10
ſancta Suſanna: Maleuolæ, inquit, ſuſpiciones ſunt calumniantium: beneuolæ ſuſpiciones ſunt gubernantium. vtique ſuſpicaris malum, ſed optas inuenire bonum. qui beneuolè ſuſpicatur, vinci cupit; tunc enim bene lætatur, quando falſum inuentum fuerit, quod malè ſuſpicabatur.

De aduocatis. TIT. XLII.

HACTENVS de his diſſeruimus, quibus promotor fiſcalis accuſationem cõprobare poſſit. ſequitur vt reorum defenſiones iam nũc eodem ordine ſubiiciamus. & quia reus carcere clauſus, nonnunquam defenſoribus eget; idcirco de aduocatis & procuratoribus paucula ſunt dicenda.

Quãuis in his cauſis procedatur 1
ſimpliciter, & abſq; aduocatorum

ſtrepitu : ſi tamen iudices viderint, reum defenſione indigere, debent ei etiam non petenti, aduocatum dare, ſed nemo reum defendere debet, antequam id ab inquiſitoribus permittatur, c.vlti.de hæreti. libr.6. l. ſi non defendantur, ff. de pœnis. Laudu.in clem.1. de exceſſib. prę̨lato. Matthę.in conſt.Regni Neapol. tit. 1. Ponzini. de lamiis, num. 78. Carerius de hæreti. nu. 114. Godofre.in l.curiales. c.de hæreti.

2 Aduocatus autem eligendus eſt vir probus, & iuris peritus: & iuſiurandum præſtabit, ſe iuſtis dumtaxat defenſionibus vſurum, & arcana celaturum. c. vltim. 5. quæſtio. 3.

3 Quæ aduocati allegant reo præſente, perinde habenda ſunt, ac ſi ab eodem reo proferantur: excepto, ſi fortè aduocatus in facto errauerit, & reus poſtea contradixerit, &

erro-

errorem reuocauerit. l. 1. & l. vlti. c. errore aduocat.

De procuratoribus. TIT. XLIII.

AD grauiora crimina defendenda non admittitur procurator, niſi reus ſit in carcerem coniectus. itaq; is qui comprehenſus eſt propter hęreſim, cauſam ſuam agere poteſt per procuratorem, vbi opus eo fuerit ad iuſtam defenſionem, quod rarò quidem euenire ſolet, ac tunc aduocatus vicem quoque procuratoris commodiùs gerit. l. pe. ſ. ad crimen. ff. de publ. iud. & ibi Bar. Ang. Imo, & Rubeus, c. ſi aduerſus, de hæreti. 1

Si contra ſuſpectum abſentem procedatur, poſſet quilibet allegare cauſas iuſtas abſentiæ, audienduſq́; eſſet. l. 3. c. de accu. Bart. in extrauagan. A reprimendum, verbo legitimè. 2

time. quomodo in læſæ maie. crimi. proceda.

3 Filij autẽ & hæredes poſſunt cauſam defuncti per procuratorem defendere: quia non de crimine, ſed de eo tunc agitur, quod eorũ intereſt. Alberi. in l. ſeruum quoque, ſ. publicè, ff. de procura. Bal. in l. reos. c. de accu. Fel. in c. meminimus. eo. tit. Rubeus in dicto §. de crimin. num. 126.

De minoribus. TIT. XLIIII.

1 MINORIBVS viginti quinque annis curator omnimodo dandus eſt, cuius auctoritate ſe defendere queãt, ne ex imperitia ſua, vel iuuenili calore, aliquid, vel dicant, vel taceant; quod ſi fuiſſet prolatum, vel non expreſſum, prodeſſe eis poſſet, & à deteriore calculo eos eripere: & quidquid ſine curatoris auctoritate cum his minoribus actum fuerit, nul-

nullius prorſus momenti eſt. l. clarum. c. de autho.præſtan. Corneus conſil.centeſimo nonageſimo octauo libro quarto. Bertrã. conſil.326. lib.3. Matth.de Affli. deciſ.208.

Minores rectè pœnitentes, benignius recipiendi ſunt: quia facilius decipi potuerũt, maximè à parentibus ſuis, & vt Triphonius inquit, ętatis miſeratio ad mediocrem pœnam iudicem perducere debet. l.auxilium, §.in delictis.ff.de minori.cap.1.& 2. delict.puero. cap.dixit Apoſtolus.24.quæſt.3. 2

Sed ſi minores doli capaces, pertinaces, & impœnitentes ſint, nulla miſericordia cum eis agendum eſt, dicto. ſ. in delictis, & ibi gloſſ. & interpretes. l.ferè in omnibus. ff. de regu. iuris. 3

Neque remiſſiùs puniendi ſunt maiores, quia hæreſim crediderunt, cùm eſſent minores, ſi nunquam 4

ab ea

ab ea receſſerunt: quia tantò grauiora ſunt peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, ſecus eſſet ſi cùm ad pleniorem ætatem peruenerint, ſpōte reſipuerint. l. 1. ff. de pœnis. l. ſi dominium. & illic Bart. & in l. inficiando, §. infans, ff. de furtis, c. vlti. de cōſuetudi.

De abſentibus. TIT. XLV.

1 ABSENS in criminalibus damnari non debet, quia cùm non audiatur per procuratorem, & ſe defendere nequeat, contra inauditam partem nihil poſſumus diffinire. Et vt Seneca inquit in Medea: Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit. & alius cecinit: Cur reus infelix abſens agor, & mea cùm ſit optima, non vllo cauſa tuente perit. & Ariſtophanes in Veſpis, certè ſapiens fuit, qui dixit, antequam amborum

borum verbum audias, non iudicabis. & ſanctus Chryſoſtomus homilia 19. in Geneſim, enarrans verba illa, *Vbi eſt Abel frater tuus?* ſubiungit: quid igitur ad hæc ingratus, & impudés? debebat cogitare quòd Deus non ignarus rei rogaret, ſed ab ipſo confeſſionem criminis exigeret: & nos doceret, nunquã cauſa non examinata ſententiam contra fratres debere ferri. c. 1. de cauſa. poſſ. c. 1. cum ſeq. 3. quęſt. 9.

2 Sed qui fugit, & latitat, & neque denuntiationibus neque edictis iudicum euocatus, copiam ſui facit, damnandus eſt vt contumax: efficit enim contumacia, vt abſens pro præſente habeatur, præſertim cùm crimina obiecta fateri videatur; qui ſæpe monitus, purgandi ſe occaſione non vtitur. l. abſentem. ff. de pœnis. l. 1. & ſeq. de re, qui reis. c. abſens. c. decernimus. 3. quæſt. 9.

Itaque

3 Itaque ſi hæreticus abſens eſt, & comprehendi nequit, vocandus eſt edictis, quibus denũcietur ei, vt intra triginta dies compareat, innocẽtiam ſuam oſtenſurus, & ea dilatio peremptoria eſſe debet, id eſt vna pro tribus: in qua citandus eſt reus ad omnia acta iudicij, monendusq́; eſt, vt niſi ad diem cõdictũ affuerit, iudices de cauſa cognoſcent, eamq́; diffinitiua ſententia terminabunt. l. ad peremptorium, cum. ſeq. ff. de iudi. c. de illicita, 24. quæſt. 3.

4 Quòd ſi reus tribus edictis adeſſe iuſſus, coram iudicibus non cõparuerit, accuſanda eſt eius contumacia in ſingulis edicti terminis, ac deinde promotor fiſcalis edet libellum accuſatorium, & omnia iudicij acta ordine fient. quibus peractis, ſi de hæreſi abſentis planè conſtiterit, ſententia in eum proferenda eſt, & ſtatua eius comburenda, & bona

& bona publicanda. Ioan. Bernar. in practi.c.142.

Sic olim Alcibiadem, & eos qui 5
cum eo erant, tanquam impios, deſerto iudicio Athenienſes capite cõdemnarũt, auctor Thucydides lib. 6. & Romæ Poſthumius cõſul plurimos reos abſentes damnauit, qui ad certam diem citati, non reſponderunt, vt eſt apud Liuium lib. 39. confert l. ne diu. c. de pœnis.

Sed cùm abſens plenè conuictus 6
non eſt, iuſtis tamen indiciis & præſumptionibus premitur, vocandus eſt in iudicium, vt intra certũ tempus præſentiam ſui faciat: quòd ſi euocatus non venerit, pronunciandum eſt, eum excommunicatum eſſe: ſi verò per annum in excommunicatione permanſerit, damnari debet tanquam hæreticus: ca. cum contumacia, de hæreti. lib. 6. Brunus lib. 4. de hæreti. cap. 11.

Cæte-

7 Cæterum citandus eſt ipſemet reus, vt verè contumax ſit, nec enim propter contumaciam presumptam damnari debet, nec ſatis eſt, vt aliter citetur in re vſque adeò graui. Clem. 1. de iudi. l. 4. ʃ. prætor ait. ff. de dam. infe.

8 Cùm autem reus latitat, & edictis in ius vocatur: edicta ipſa præconis voce diuulganda ſunt, & nomẽ abſentis eſt inclamandum in ea ciuitate, in qua domicilium reus habet, atque affigenda ſunt ad ianuas eccleſiæ maioris, vt in eius notitiam peruenire queant. l. hæc autem, ff. quibus ex cau. in poſſ. eatur. l. 4. ʃ. toties de dam. infe. & in inſtructionibus Hiſpaniæ.

9 In qua prouincia hæreticus deliquit, in ea comprehendendus eſt. quòd ſi abſens fuerit, debent inquiſitores mittere literas requiſitorias ad alios iudices, vt ab eis comprehenſum,

henſum, ad ſe remittant, c. vt commiſſi, §. & contra illos, de hæreti. libro 6. l. 1. ff. de requi. reis. Rebuffus tractatu, de literis requiſitoriis.

Eſt ſanè rationi conſentaneum, 10
vt cauſa peragatur in loco commiſſi criminis, ad eumque reus mittatur, vt illic de crimine commodius cognoſcatur: & ibi reus puniatur, vbi deliquit, vt conſpectu cæteri deterreantur, Authen. vt nulli iudi. §. ſi quis comprehenſorum. Numeri 35. & ibidem Abulen. q. 14. Couar. lib. 1. quæſt. cap. 11.

Si conſtiterit, aliquem alibi fuiſ- 11
ſe hæreticum: quamuis abſens ſit ab eo loco, in quo deliquit, comprehendi tamen, & puniri poteſt, vbi nullam hæreſim protulit, & ita omnium cõſenſu receptum eſt. Iacob & Cynus in l. 1. c. de ſumma trin. Ioã. And. & Francus in c. vt cõmiſſi, de hęreti. lib. 6. Alber. de aſſer-

tio. catho. quæſt. 25. Hermas libro ſecundo de inſtaura. religio. cap. 9. & innumerabiles alij.

12 Etenim vt Demoſthenes aduerſus Ariſtocratem inquit: Aliis facinoroſis ſat eſt, vt eorum, quos læſerint, patria cedant, in aliorum ditionem, quibus nullam fecerunt iniuriam, tuto commigrantes; at verò hæretici, hoſtes ſunt orthodoxę reipublicæ, & catholicam eccleſiam lędunt, atque adeò Chriſtianis omnibus iniuriam inferunt, & omniũ intereſt, religionis integritatẽ vbiq; ſeruari. l. Manichæos. c. de hæreti.

13 Accedit illa quoque cauſa, quòd hæreticus animal peſtilentiſſimum eſt, & vbicunque poteſt, virus euomit, & vt cancer ſerpit. & ſicuti eleganter Demoſthenes cõtra Ariſtogitonem dixit: Malum reipublicæ pernicioſum, antequam cuiquam noceat, maturè præcauendum eſt: & ſi-

& ſicut ſerpentē, & araneum priuſquam mordeant, occidimus: ſic hominem natura ſerpentina præditū, antè etiam quàm noceat, punire debemus. quod renouans Philo, libro de ſpecialibus legibus, inquit: Sicut viperas, ſcorpios, aliasq́ue venenatas beſtiolas, priuſquàm mordeant, aut ſaucient, aut omnino ſe commoueant, ſine mora ad primū aſpectum occidimus, præcauendo genuinam eorū malitiam, priuſquàm noceant: eodem modo etiam homines plectendi ſunt, qui cùm ſint animalia rationalia, nihilominus à natiua manſuetudine in ferinos mores degenerant, & pro delectamento habeant lædendi quotquot poſſunt licentiam. hi verò maximè hæretici ſunt: qui lupi rapaces, pardi, vulpes, & ſeductores nominantur: & nō ſolùm his digni ſunt nominibus, ſed aliis etiam mille ſimi-

libus,& quidem peioribus. Brunus lib.1. de hæreti. à cap.3.deinceps.

14 In hæreticum abſentem inquiri poteſt à iudicibus prouinciȩ,in qua domicilium habet: vt ſi cõprehendi non poſſit,ſtatua eius comburatur, & bona publicentur. c. poſtulaſti. c.cùm contingat. c.vlt. de foro compet.

15 Si verò nuſquam domicilium habeat, nihilominus inquiretur in eũ in prouincia originis, & vbi bona poſſidet,vel beneficium eccleſiaſticum habet. l.1.l.filios. c. de munic. & origi.lib.10.l.2.c.vbi de crimi.agi oport. c. vergentis,de hære.cùm ſecundum. c.vt commiſſi. §.priuandi, eodem tit.lib.6.

16 Qui abſens cõdemnatur, etiamſi ſtatua eius combuſta ſit, audiendus tamen eſt, ſiue ſponte copiam ſui fecerit,ſiue inuitus comprehenſus fuerit: nulla enim temporis prȩſcriptio-

ſcriptione à cauſæ defenſione ſubmoueri debet, qui abſens damnatus eſt; & eo iure vtimur.l.pen.ff.de requi.reis. l.2.c. eodem titulo.

Quòd ſi intra annum à die con- 17
demnationis præſentiã fecerit, audiri quoque debet, ne bona ſua publicentur. poſt annum verò etſi audiri dèbeat, vt ne ipſe damnetur, bona tamen eius nihilominus confiſcantur: excepto, ſi de innocentia planè conſtiterit, aut iuſto aliquo impedimento intra annum comparere nequiuerit.l.1.& l.vlti. ff. de requi. reis. l.2.c.eodem titul. l.ſecũda. ff. ſi quis cautionibus, l. qui commeatus, de re milita.

De contumacibus. TIT. XLVI.

DIVVS Auguſtinus de verbis 1
Domini, ſermone 57. inquit: Contumaciæ crimen eſt, quod iubetur cõtemnere, quod præcipitur nolle,

quod imperatum eſt declinare.

2 Suſpectus de hæreſi, qui vocatus, vt coram inquiſitore de fide reſpõdeat, contumax eſt: & propterea excommunicatus in ſua contumacia per annum perſiſtit: ex tunc damnandus eſt vt hæreticus. cap. cum contumacia. de hæreti. lib. 6.

3 Vnde patet quòd ſi illi mortui fuerint intra annum, damnandi nõ ſunt vt hęretici: quia dictio ex tunc temporis extremum deſiderat. l. 4. ʃ. 1. ff. de condi. & demon. l. pen. de teſtamen. tute. omnes interpretes in dicto c. cum contumacia.

4 Nec ſatis eſt, vt edictis euocetur contumax, ſed ſemel ſaltem ipſemet citandus eſt: quia res magni momenti eſt, atque ideò cautius agendum. in ca. Abbas, & cęteri in c. vlti. de eo qui mit. impoſ. c. de illicita. 24. quæſt. 3. Barto. & alij in l. 4. §. prætor ait, ff. de damn. infect.

Quòd

Quòd ſi plena probatione con- 5
ſtaret, abſentem contumacem hæreticum eſſe: tunc tribus edictis vocatus, iuſtè damnari poteſt, vt paulò antè dixi; & bis olim factum id fuiſſe, Nicephorus in eccleſiaſtica hiſtoria retulit, lib. 15. c. 4. & libro 17. c. 9.

Si verò ſuſpectus cõprehẽſus, & 6
à iudicibus interrogatus, reſpõdere nolit, aut obſcurè reſpõdeat, vel nõ ad interrogata reſpondeat, torqueri poteſt, vt apertè reſpondeat. Bal. in l. accuſationẽ. c. qui accuſa non poſ. Iaſ. in l. qui aliena, §. Celſus. ff. de acquir. hæredi. Capicius deciſ. 145.

Contumax autem, qui tacet in- 7
terrogatus, damnari poteſt vt pertinax, & conuictus. Sic in octaua ſynodo generali actione 5. Photio interrogato, ſi ſuſciperet ſtatuta ſanctorum patrum, & non reſpondenti verbum, præſidentes ſynodo

dixerunt:Per ſilentium non effugies manifeſtiorem damnationē. Aliud quoque exemplum memorat Bonifacius de Vitalinis in clem. 1. de vſuris,nu.96. confert. l. de ætate, §. qui tacuit. §. quòd autem. §. nihil intereſt. ff. de interrogationibus.

De defenſionibus. TIT. XLVII.

1 SED iam ad reos carcere clauſos reuertamur. Qui negat, ſe hæreticum eſſe, ac iuſtis defenſionibus vti velit, vtique audiendus eſt. prima verò defenſio eſt, negare crimina ei obiecta. Nam vt Fabius lib. 3. c. 8. inquit: Longè fortiſſima tuendi ſe ratio eſt, ſi quod obiicitur negari poteſt; quia accuſatore nō probante, reus etſi nihil præſtiterit, abſoluendus eſt. l. qui accuſare. c. de edendo. l. actor. de probatio.

2 Innocens autem conſtantiſſimè negare debet, ne ſe ipſum iniuſtè infa-

infamet, ac falſo teſtimonio dãnet. quia ſi cõtra alium pro teſtimonio falſum dicere vnuſquiſque prohibetur, multò magis ne contra ſe falsò teſtificetur, vetitum eſt; quia regulam diligendi proximũ à ſemetipſo accepit. c. ſi non licet. 23. q. 5. diuus Auguſt. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 7.

Reus verò caueat, ne vnquam falſum dicat, aut verũ neget: Nam præter grauiſſimũ periurij crimen, cauſam ſuam longè peiorem faciet: veritas enim vi ſua etiam ab inuito, ac nolente plerunque proditur, & vt vnum occultetur plura mẽdacia dicenda ſunt, ac tandem retexentur magna mendacis anguſtia & confuſione: qui ſi voluiſſet verum dicere, vtique tutò, ac ſine labore potuiſſet; plana quippe veritatis via, & graue eſt iter mẽdacij, vt D. Gregorius inquit, lib. 12. in Iob cap. 21. 3

4 Sed quia ſola negatione non eſt ſemper ab improbis teſtibus innocentia tuta: aliis quoque defenſionibus vtendum eſt. Fabius quidem loco prænotato, inquit: Longè fortiſſima tuendi ſe ratio eſt, ſi quod obiicitur negari poteſt; proxima, ſi non id, quod obiicitur, factum eſſe dicitur. Et Ariſtoteles lib. rhetoric. ad Alexandrum: Defendēdı ſpecies tribus præceptis conſtat: aut enim defenſori oſtendendum eſt, ſe nihil eorum, quorum accuſatur, patrauiſſe, aut ſi cogatur fateri, & cętera.

5 Cæterum negantis factum per rerum naturā nulla eſt directa probatio, quia quod non eſt, non habet cauſas cognitionis, & probationis, id eſt, non poteſt aliquo ſenſu cognoſci, nec teſtis poteſt eius reddere cauſam per aliquem ſenſum corporeum, qua bene concludat, ſe id noſſe. c. bonæ. 1. de electione, quo-

quoniam contra. de probationib.

Fieri tamen poteſt probatio, qua 6 indirectè, ſiue obliquè concludatur defenſio negantis, coarctato loco, ac tempore, quo dicitur hæreſim protuliſſe, ea enim cauſas habent cognitas, & quæ facilè probari poſſunt: quia ſenſibus percipiuntur. c. ex tenore, de teſtib. l. optimam. C. de contrahen. ſtipula. Toſtadus in 2. parte defenſorij. c. 77.

Itaq; iuſtè ſe reus defendet, ſi plu- 7 ribus, & melioribus teſtibus probare potuerit, ſe id quod obiicitur, eo loco, vel eo tempore, nondixiſſe, vel non eo modo, aut illis verbis, aut eiuſmodi circunſtantiis, ſed aliis, quibus crimen ex toto diluatur, aut certè magna ex parte minuatur. Feli. in c. tertio loco, de probat. Ruin. conſi. 145. lib. 5. Decius conſi. 94. & in l. 1. c. de bon. poſſeſſ. ſecun. tabu. Ripa. in l. in illa. ff. de verb. obligat.

Solent

8 Solent quoq; teſtes produci, qui reum approbent, quos approbatorios appellant: olim (ni fallor) laudatores dicebantur; hi nonnunquã plurimum proſunt, & eò magis, ſi teſtimonium perhibeant de actis, dictíſve contrariis obiectis criminibus. verbi gratia, ſi probẽt, reum quotidie rem diuinam audire, aut pro animis defunctorum orare, aliaq́; generis eiuſdem, cùm de hæreſibus his catholicis veritatibus contrarijs accuſatus eſſet: nec enim poteſt quiſquam ſubitò fingi, nec cuiuſquam repentè vita mutari, aut natura conuerti, vt inquit Cicero pro Sylla. Nemo quidem repente fit turpiſſimus. c. ſi ſermo, de pœnit. diſt. 2. c.pen. de præſump. Bertran. conſilio 37.lib.2. Alciat. lib.2. de præſumpt. c.25.

9 Refutantur interdum teſtes probatis inimicitiis capitalibus, aut coniu-

coniuratione, vel ſubornatione, & teſtes quibus ea probantur, reprobatorios vocant, ſed conſanguinei, atque domeſtici reorum admittendi non ſunt ad huiuſmodi probationes. c. per tuas, de ſimo. c. filij. de hæreti. lib. 6.

Multæ præterea defenſiones eſſe 10 poſſunt, quæ vel reos omnimodo tueantur, vel magna ex parte excuſare queant. Nam cùm hæreſis errorem intellectus, & pertinaciam includat: vbi ea deſint, hæreſis eſſe deſierit. furioſus igitur mente motus, & furiis, ſiue dæmonibus agitatus, etſi quippiam hæreticum dixerint, impij tamen non erunt. l. diuus. ff. de offi. præſid. l. vlti. de admi. tuto. c. alij quos, cũ ſeq. 15. quæſt. 1.

Quid ſi hæreticus incidat in fu- 11 rorem? cauſa quidem bonorũ peragi poterit, citatis hæredibus aut curatore bonis dato: ipſe verò cuſto-

dien-

diendus eſt, donec ad ſanam mentem redeat: nec damnari debet, antequam in furore moriatur: quia fortaſſis reſipiſcet, atque ad ſinum eccleſiæ reuertetur; ſi verò furioſus moriatur, perinde cauſa erit finienda, ac ſi mortuus eſſet paulò ante furorem, argu. l. patre furioſo, ff. de his qui ſunt ſui, vel alie. iuris. Bal. Alex. & cæteri in l. furioſum. c. qui teſta. face. poſſunt.

12 Infantes quoque innocentia cōſilij tuetur, quia ea, quę dicunt, non intelligunt, l. 1. c. de falſa mone. l. infans, ff. de ſicar.

13 Idem iuris eſt, ſi ſenex decrepitæ ætatis delirans, aliquid impium dixerit, ſenes enim deſipiunt, cùm debilitate nimia confecti ſunt, vt Caſſiodorus inquit, lib. de anima. c. tāta nequitia. 86. diſtin. l. ſi quis ingraueſcente, §. ignoſcitur. ff. ad Syllania. Clemēs Alexādrin⁹ lib. 6. ſtromatū.

Eadem

Eadem de dormiente dicimus: 14
ſunt enim qui dormientes ſæpe loquantur. Clem. 1. de homici. l. 1. ∫. adipiſcimur, de acqui. poſſe. l. 1. ff. de auto. tuto.

In eadem cauſa ſunt ebrij, qui ad 15
imperium vini loquuntur, quę non intelligunt: ſecus erit, ſi non erant prorſus ebrij. c. ſanè. c. inebriauerunt. 15. quæſt. 1. l. omne. ∫. per vinum. ff. de re mili. l. reſpiciendum. §. delinquunt, de pœnis.

Qui refert aliorum hæreſes, niſi 16
dolo malo id fecerit, puniendus nõ eſt; dolus verò in dubio non præſumitur, ſed circunſtantiæ nonnunquam efficiunt, vt mala mens hæretici appareat. l. qui iniuriæ. ff. de furt. l. obligationum. ſubſtantia de actio. & obliga.

Qui labitur lingua ſua, ſed non 17
ex animo, hæreticus non eſt: præſertim, cùm ſe incontinenti correxerit,

rexerit; nec enim lubricum linguæ ad pœnam trahendum eſt, & vt diuus Auguſtinus ait: Ream linguam non facit, niſi rea mens, Eccle. 19. c. homines. 22. q. 2. l. famoſi. ff. ad leg. Iul. maie. l. Stichus imò Pamphilus de manu. teſtamen.

18 Nimia quoque ruſticitas excuſare poteſt ab hæreſi, aliud eſt, cùm ruſtici ſunt ſagaces. gl. recepta, in l. athletæ, §. de ruſticis. ff. de excuſat. tuto.

19 Qui per facetiam dixerit hæreſim, vt hæreticus puniendus non eſt: niſi ex circunſtantiis aliud conſtiterit: puniri tamen debet, vt irreligioſus, ac temerarius, quia peſſimi exempli eſt, cum rebus fidei iocari: neque id caret ſuſpicione hæreſis, vt rectè dixit Gerſon, addito verſiculo memorabili: Non patitur ludum, fama, fides, oculus. par. 2. tractatu vlt.

Mulie-

Mulieres fermè, vt pueri, leuis 20 ſententiæ ſunt. faciliùs igitur excuſari poſſunt, quàm viri: niſi pertinaces ſint. c. indignantur. 32. q. 6. l. ſi quiſquis. §. ad filias. c. ad leg. Iul. maieſt. l. 2. in fine. ff. de iure fiſci.

De his qui metu mortis deficiũt, 21 & impiũ aliquid faciunt, vel dicũt, diſtinguendum eſt. mitius enim agi debet cum iis, qui maioribus ſuppliciis victi ſunt: & cum eis, qui ſũt imperfectiores, & qui ex officio ad heroicas virtutes nõ ſunt obligati, quàm cũ cæteris: quamuis enim talia videantur quodammodo eſſe inuoluntaria, nequaquam tamen eiuſmodi ſunt, ſed mixta. nam voluntariè eliguntur propter circunſtantias, vt rectè docet Gregorius Nyſſenus libro 5. de philoſophia ca. 1. c. meritò. 25. quæſt. 1. c. Lotharius. 31. quæſt. 2. c. eos quos., de conſecrat. diſtinct. 4. c. hoc ipſum, 33.

quæſt.2. c. ne quis. 22. quæſt.2.

22 Si verò quiſpiam metu finxerit ſe eſſe hęreticũ; quamuis pro modo culpæ puniri poſſit, ſi tamen corde non diſceſſit à fide, nec hæreticus fuit, nec pœnis hæreticorũ afficiendus eſt. Nam ſicuti B. Auguſtinus in Euangelium Ioannis tractatu 26. inquit: Cætera poteſt homo facere nolens, credere nõ poteſt, niſi volẽs. c. poteſt fieri, de pœnit. diſtin. 1. Cyprianus libro de duplici martyrio. Ambroſius lib. 1. de pœnitẽtia, ca. 3. Alber. in rubri. de hæreti. li. 6. quęſt. 13. Brunus lib. 1. de hæreti. c. 4.

23 Qui magna aliqua perturbatione animi motus aliquid impium dixerit, is hæreticus quidem nõ eſt: niſi fortè cõcurrant illa, quibus perficitur hæreſis: quia commotiones animi cõſilio, & ratione, rem videre nõ ſinunt. tale eſt quod euenire poteſt amore perditis, qui puniendi ſunt

pro

pro qualitate verborũ, vt irreligioſi, ac temerarij, non autem vt hæretici. ſ. vlti. & ibi interpretes inſtit. de ſucceſſio. ſubla. Plato in Phædro. Ariſto. lib. 2. magn. mora. c. 6. Tiraquel. de pœnis, in cauſa 4.

Nullus opinetur incontinentiæ 24
deſiderium, vel iram, inuoluntaria eſſe delicta, quòd videlicet hęc principium effectiuum extrinſecũ habeant, nempe meretricis pulchritudinem, vel prouocationem ad iram. Nam etſi principium hi foris habeant, ipſi tamen per ſeipſos operantur, neque inuoluntarij definitio eis accommodari poteſt. quandoquidem principij cauſam ſibi ipſis tribuunt, propter malum habitum à paſſionibus facilè ſuperati. voluntarium autem eſſe declarat, quòd in operatione lætantur, ſicuti diuus Gregorius Nyſſenus tradit, loco paulò antè citato.

25 Magnus quoque dolor excuſare ab hæreſi poterit, cùm ſit grauiſſima perturbatio animi, vt ait Plutarchus oratione conſolatoria. l. ſi adulterium. §.imperatores, ff. de adult. l. ſi ex plagis, §. 1. ad l. Aquil. Tiraquel.de pœnis, cauſa 1.

26 Idem prorſus dicendũ eſt de verbis impiis, calore iracundiæ prolatis: quia quæ proficiſcuntur ab ira, non diiudicantur ex electione fieri. hæreſis autem ab electione eſt.Ethi. 5.c.8.c.hęreſis.24.quæſt.3.quidquid calore.ff.de regu.iuris.

27 Et quia tutum non eſt, ſub iudice ſuſpecto cauſam dicere: poterit iuſtis ex cauſis reiici inquiſitor. cap. vlti.3. quæſt. 5. Cardi. in clem. 1. de hæreti. Angel. in ſumma verbo.inquiſitio. ſ. 5. Pariſi. conſi. 2. lib. 4. Rebuffus tractatu de recuſationib.

28 Cæterũ in cauſa hæreſis non debẽt eligi arbitri, qui de recuſatione

cogno-

cognoſcãt, ne fidei negotia protrahantur. Sed ſi iuſta viſa fuerit cauſa recuſationis, conſulendus eſt ſuperior, vt alij iudici eam committat; ſi verò friuola fuerit, ea remota procedi poterit: ſicut proceditur appellatione remota. appellatio enim & recuſatio æquiparantur. in hoc ca. ſuper eo. cap. cum ſpeciali. de appellat. & ibidem interpretes.

Rei defendendi ſunt ab aduocatis, nõ autẽ ab aliis. ſed ſi cõſanguinei, vel amici aliquid afferant, quod reis prodeſſe queat, vſq; eò dũtaxat audiẽdi ſunt, vt officio iudicum inquiratur, vtrum id verũ ſit, nécne; quemadmodum ſenatus conſulto Hiſpaniæ rectiſſimè decretum eſt. 29

De errore. TIT. XLVIII.

Quia interdum is qui errat, excuſari poteſt ab hæreſi, nõ erit alienum de errore hac in parte tractare. 1

Nam qui credit aliquam hæreſim, cuius veritatem contrariam explicitè ſcire non tenebatur, putans id, quod credit, eſſe catholicã veritatẽ: is proculdubiò hæreticus non eſt, vt poſtea probabo. ac de huiuſmodi errore loquitur iuris conſultus, qui ait: Nihil tam contrariũ eſt voluntati, quàm error. l. ſi per errorem. ff. de iuriſdi. omn. iudi.

2 Error autẽ dupliciter eſſe poteſt: vel procedens ex malitia, vel ex ignorantia. prior eſt qui facit hæreticum, poſterior verò non item. Eſt autem errare, habere falſum pro vero, aut verum pro falſo: vel certũ pro incerto, aut incertum pro certo, vt Diuus Auguſtinus in Enchirid. tradit cap. 17.

3 Malitia errat in fide is, qui ſciens veritatẽ catholicam, & credens eam eſſe veram, nihilominus aſſerit contrarium errorem, id quod Lutherus

fecit,

fecit, ac tunc falſus eſt, cùm negauit purgatorium. huic affinis eſt, qui ſciens quid eccleſia catholica doceat, ipſe contrarium credit eſſe verum: & hic eſt frequentior hæreticorum error.

Illi quoque malitia errãt, qui veritatem aliquam catholicę fidei, pudendo errore ignorantes, cùm eam explicitè ſcire tenerentur, cõtrarium errorem pertinaciter credunt: non parati ad correctionẽ ſuſcipiendam cognita veritate. quin etiam eadem malitia errant, qui credentes hæreſim, cuius contrariam veritatẽ ſcire non tenebantur, non volunt ſuſcipere ſanam doctrinam veritate cognita. & hi omnes ſunt errores pertinaces, qui conſummatum hæreticum faciunt. 4

Diuus Auguſtin. de verbis Apoſtoli ſermone 14. Ferẽdus eſt, inquit, diſputator errãs in aliis quęſtionib⁹ 5

non diligenter digeſtis, nondum plena eccleſiæ auctoritate firmatis. ibi ferendus eſt error: non tantùm progredi debet, vt etiam fundamẽtum ipſum eccleſiæ quatere moliatur.

6 Beatus ille Chryſoſtomus in epiſtolam primam ad Corinthios, ſermone 17. inquit: Vtrumq; inuicem confirmatur, malitia ab incredulitate, & incredulitas à malitia. animus namque, qui multorum ſcelerum ſibi conſcius eſt, cùm futurum iudicium formidet, atque exhorreſcat, nolitque mutata vita in melius ſibi conſulere, incredulitate quietem animi quærit.

De ignorantia. TIT. XLIX.

1 QVI verò ignorantia errat, is plerũque ab hæreſi excuſari poteſt. ſunt autem ſpecies ignorantię quatuor: Vna affectata: altera craſſa; tertia

tertia probabilis; quarta inſuperabilis. qui errat ignorantia affectata, is malitia non caret, atque adeò pertinax eſſe præſumitur, præſertim, cùm errat in eo, quod explicitè ſcire tenetur. de hac ignorantia Dauid loquitur, dicens: *Noluit intelligere, vt bene ageret*; Pſal. 36. c. excellentiſſimus, vndecima quæſt. tertia. Iuſtinus martyr quæſt. 140.

Propheta regius inquit: *Longè eſt à peccatoribus ſalus, quoniam iuſtificationes tuas non exquiſierunt*; vbi beatus Hilarius: Non habet veniam ignoratio volũtatis: quia ſub ſcientiæ facultate neſcire, repudiatæ magis quàm non repertæ ſcientiæ eſt reatus. Pſal. 118. 2

3 Is qui craſſa ignorantia errat, ignorans ea, quæ cunctis diuulgata ſunt, vix ab hæreſi poterit excuſari, ac fortaſſe, ne vix quidem: excepto, ſi ſtupidus, vel ſtolidus eſſet. l. latæ

culpæ. ff. de verbo. ſignifi. l. nec ſupina, de iuris & facti ignoran. l. ſi Titius. ff. de fideiuſſ. l. 4. quod vi, aut clam. Canus libro 12. de locis theologi. cap. 10.

4 Probabilis autem ignorantia excuſat ab hæreſi, cùm caret malitia & pertinacia. Nam & beatus Cyprianus contra Demetrianum ſcripſit: Qui ad malũ motus eſt mendacio fallente, multò magis ad bonum mouebitur veritate cogente. Et diuus Hieronymus in prologo epiſtolæ ad Romanos: Qui cognitum illico ſequimur, olim vtique ſequeremur, ſi antè cognouiſſemus. & ſanctus Auguſtinus: Qui ſententiam ſuam, quamuis falſam, atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autẽ cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm eam inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.

putandi. & auctor operis imperfe-
cti, in Matthæ. homilia 42. Qui
pro veritate contendunt, & cogni-
ta veritate conſentiunt veritati,ma-
nifeſtum eſt, quòd prius non con-
tra veritatem, ſed pro veritate cer-
tabant.

Ad ſummam, qui probabili ig-
norantia non pertinaciter errat, is
non habet electionem contradicen-
tem doctrinis eccleſiæ: relinquitur
ergo,vt hæreticus non ſit.c.dixit A-
poſtolus.24.q.3.c.1.29.quęſt.1.vter-
que Tho.2.2.q.11.arti.2.tradũt om-
nes in c. 1. de ſumma trinitate, & in
rub.C.eodem tit. Lupus allegat. de
hæreſi. §. 5. Alberti. de aſſertio. ca-
tho.q.36.

Qui errat ignorantia inſupera- 5
bili, quam ſuperare non potuit fa-
ciens quidquid in ſe fuit, is om-
ni culpa caret, nedum hæreticus
non eſt: ſicut & ille, qui quærens
verita-

veritatem in quæſtionibus difficillimis, imbecillitate ingenij bona fide aberrauerit, de quo errore accipienda ſunt verba illa, quæ vulgò dicuntur eſſe diui Auguſtini: Errare poſſum, ſed hæreticus non ero. addo Vincen. Lirinen. aduerſus hæreſes, poſt. prin. Ioan. Maio. in lib. 2. 2. ſent. diſtin. 22. q. 2.

6 Qui verò errat ignorantia, in his etiam quæ explicata fide ſcire tenebatur, peccat ille quidem peccato negligentiæ, non tamen hæreticus eſt, ſi modò pertinacia careat. c. 1. 29. q. 1. Gerſon de vita ſpirituali, lectione 5. Alfonſus libr. 1. aduerſus hæreſes, cap. 9.

7 Vnde fit, vt qui errat ignorantia, non ſit puniendus hæreticorũ pœnis: ſed errores reuocare debet arbitrio iudicum, ſimpliciter, & ſine conditione, extrauag. Vas electionis, in fine de hæret. Gerſon de proteſta-

teſtatione, conſiderat. 11. Lupus allegat. de hæreſi. ſ. 4.

Indoctis hominibus melius eſt ſimpliciter credere, quàm curioſa ſcrutari. diuus Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 33. Multis hęreſes ignotæ ſunt, & eſt iſta ignorantia tutior. & ſanctus Thomas, Eorum fides firmior eſt, qui nihil diuerſum audierũt, ab eo quod credunt: poſtremò turbam imperitam credendi ſimplicitas, nõ intelligendi viuacitas tutiſſimam facit, vt rectè ſcripſit Hoſius libro de expreſſo Dei verbo. Sanctus Tho. 2. 2. quęſt. 10. arti. 7. 8

De proteſtatione.

TIT. L.

CVM proteſtatio prodeſſe poſſit reis: de ea quoque diſſerendum eſt. Solent quidem viri pij proteſtatione vti, in hunc ferè ſenſum: quòd ſi fortè 1

fortè aliquid contra fidem catholicam eos dixiſſe, aut ſcripſiſſe contigerit, ex inde illud reuocāt,& ex imperitia dictū, vel ſcriptum intelligi volunt, non autem ex malitia, vel pertinacia.c.hæc eſt fides.24.q.1.

2 Hanc proteſtationē definit Gerſon, vt ſit confeſſio quædam, qua declaratur, quid proteſtans in fide ſentiat. aliter: Eſt hæc proteſtatio religioſa,. & modeſta deprecandæ impietatis, pertinaciæq́; cautio, animi noſtri declaratoria, & certificatoria; teſtatur enim quo animo ſimus locuturi, vel ſcripturi. Gerſon tractatu de proteſtatione cōſidera.1.

3 Quæ proteſtatio, cùm in nullius detrimentū ſit,& ex voluntate proteſtantis pendeat, fieri poteſt quocunq; loco, & tempore, atq; interpretatur verba,& ſcripta cōſequentia.l.per ſeruū.§.1.ff.de vſu,& habita.l.qui in aliena. §. Celſus. de acq. hær.

hær. l. ſi quis in prin. de lega. 3. Bar. in l. non ſolũ. ſ. morte, de noui. ope. nuncia. omnes in c. cùm M. Ferrarienſis, de conſtitutio.

Sed vt proteſtatio proſit, neceſſe 4 eſt vt verba ſint ambigua, & mens proferẽtis dubia. nã ſi verba, & mẽs proteſtãtis manifeſtã hæreſim ſaperẽt, nihil prodeſſet ea proteſtatio. l. Neſennius. ff. de neg. gẽſtis. l. at ſi qs. §. pleriq;, de relig. & ſumpt. fune.

Quo efficitur, vt qui ſciens errat 5 cõtra catholicã fidẽ, quãuis millies proteſtetur, nihilominus pertinax hęreticus ſit. alioqui liberũ eſſet hęreticis, hęreſes quaſcunq; docere ſub prætextu proteſtationis; ſed proteſtatio cõtraria facto prorſus inutilis eſt. ca. ſollicitudinem, de appel. c. ca. te. de iure iuran. c. vlti. de homic. lib. 6. l. ſi quis extraneus. ff. de acq. hęr. l. ſi non conuitij. c. de iniuriis. Gerſon de proteſta. conſi. 3. cum ſeq.

Hinc

6 Hinc eſt, quòd qui errat in iis, quæ explicitè ſcire tenetur, non excuſatur ſola proteſtatione, ſed prçterea ignorantiam probare debet. l. 2. §. Seruius. ff. de orig. iuris. l. profeſſio. c. de mune. patrimo. lib. 10. l. ab ea parte. ff. de probatio.

7 In rebus autẽ ambiguis, ac difficillimis, plurimum proderit proteſtatio: quia etiam viri docti ea ignorare poſſunt, glo. in prin. inſti. de obli. quæ ex quaſi deli. naſcun. Feli. in c. 1. de re iu. Alfon. lib. 1. de iuſta hære. puni. c. 11.

8 Proteſtatio interdũ excuſat apud Deum, & non apud homines, & contrà: quia homo iudicat, quæ apparent, Deus autem intuetur cor. 1. Reg. 16. Gerſon conſiderat. 8. Alfon. dicto cap. 11.

9 Qui errat probabili ignorantia, excuſatur proteſtatione apud Deũ, & homines. Alberi. in rubr. c. de hæret.

hæret. Gerſon conſid.5. Alfonſ.cap. 11. Alberti.de aſſertio. catho. q.12.

Ad ſummam ex perſonarum, & errorum qualitate, plus, minusve proderit proteſtatio: ſed nunquam nocere poteſt, quia nihil ponit improbum, vel ſuſpectũ. Gerſon conſid.2.& 12. l. ſi quis ſub conditione. ff. ſi quis omiſ. cau. teſta. Feli. in c. literas. de præſump. nu.19. 10

De abſolutione. TIT. LI.

VBI promotor fiſcalis omnia crimina in reos obiecerit, & illi, eorumq́ue aduocati, defenſionibus ſuis fuerint vſi, & vtrinque probationes peregerint: conuenire debẽt iudices, & conſultores, ac de cauſarum fine deliberare. quòd ſi reus diluerit obiecta crimina, vel accuſator ea non probauerit, abſoluendus quidem eſt; nonnunquam ab accuſatione, interdum ab inſtantia iu- 1

dicij, ſæpe etiam fideiuſſoribus relinquẽdus eſt: quemadmodum iudicibus iuſtius, & commodius eſſe viſum fuerit.

2 Multi putant epiſcopũ ſolum, & ſolum inquiſitorem abſoluere poſſe reum accuſatũ de hæreſi: quamuis neuter eorum ſolus damnare poſſit. ſed illorũ opinio à multis damnata, è foro expulſa meritò, eiectaque eſt: quia ſimul deliberare debẽt, an reus ſit abſoluendus, vel condemnãdus: & eadem omnino ratione vtrunque faciendum eſt. Clem. ex eo. de hæreti. l. qui condemnare. ff. de re iudi. & ibi Cuma. Areti. Soci. & quidam alij, Stepha. Ioan. And. Imola. in clem. 1. de hęret. Syluester & Caieta. in ſummis, verbo. excõmunicatio.

3 Abſolutus à ſummo Pontifice in foro exteriori, non poteſt ab inquiſitore de eiſdem criminibus puniri: niſi fortè falſa cõfeſſione abſolutio extor-

extorta ſit, quo caſu cōſulendus eſt ipſe pontifex maximus. c. cùm inferior. de maio. & obedi. Decius cōſil. 137. Pariſius conſili. 1. lib. 4.

Hi qui eliguntur à pœnitentibus, 4
vt ſacras eorũ confeſſiones audiant: quãuis ex clauſula generali diplomatũ, ſiue bullarũ, à multis criminibus abſoluere poſſint: hæreticos tamen abſoluere nequeunt: quia id ſpecialiter inquiſitorib⁹ reſeruatur. Nec eſt veriſimile generaliter eſſe cōceſſum, quod ſpecialiter denegaretur. Nec enim probabile eſt, pontificé ſummũ tot legibus ſanctiſſimis in fidei fauorem latis, tam facilè derogare voluiſſe. c. 2. de pœnit. & remiſ. lib. 6. cap. in generali, de regu. iur. lib. 6. l. ſi quando. C. de inoffi. teſtamé. Couar. in c. alma mater, parte 1. §. 11. quãuis Soto in lib. 4. ſent. diſtin. 22. quæſt. 2. artic. 3. diſſentire quodammodo videatur.

5 Sed prior ſententia vera eſt, vt mihi quidem videtur. Nam ſi epiſcopis inquiſitoribus ordinariis iure ſingulari tribuitur, vt abſoluere poſſint in foro pœnitentiæ occultos hæreticos; idq́ue committere nequeant vicariis ſuis: incredibile eſt, vt ſub clauſulis generalibus id ipſum intelligatur eſſe conceſſum cuicunque ſimplici ſacerdoti, qui facile poteſt pœnitentem ad epiſcopos, vel inquiſitores mittere. concilij Tridenti. ſeſſ.24.c.6.

6 Hæretici morientes abſolui poſſunt à quolibet ſacerdote, ſi epiſcopus & inquiſitores deſunt. quod capite 2. concilij Arauſicani his verbis decretū eſt: hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderēt, ſi deſit epiſcopus, à presbyteris cum chriſmate, & benedictione conſignari placuit. c. his qui tempore, cum ſeq. 26. quæſt.6. concil. Triden. ſeſſio.14.c.7.

CVM reus negat obiecta crimina, & plenè probata non ſunt: plerunque ad quæſtionem peruenire oportet. eſt autem quæſtio inuita conſcij hominis confeſſio, vt Ariſtoteles tradit. 1

Quæſtio, auctore Vlpiano, res eſt fragilis, & periculoſa, & quæ ſæpe veritatem fallit. diuus quoque Auguſtinus dolenda eſſe ait iudicia hominũ de hominibus, cùm quiſpiam torquetur, & cùm quæritur, vtrum ſit innocens, cruciatur: & innocẽs luit pro incerto ſcelere certiſsimas pœnas. demum Rhetores multa dicunt contra tormenta. l. 1. §. quęſtioni. ff. de quęſtionibus. Auguſt. lib. 19. de ciuitate Dei. c. 6. Cicero in partitionibus, & li. 2. rhetoric. ad Herennium. Ariſt. rhetoric. ad Alexandrum. c. de quæſtione. 2

3 Cæterùm ſæpiſſimè tormenta neceſſaria ſunt, vt ijdem ipſi rhetores docent, & B. Cyprianus contra Demetrianum inquit: Torquentur rei, qui ſe negant crimine, quo accuſantur, teneri, vt facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Et Euſebi⁹ ad epiſcopos Galliæ: Veritatẽ diuerſis cruciatibus è latebris ſuis religioſus tortor exigere debet: vt dum pœnis corpora ſubiiciũtur, quę geſta ſunt, fideliter, & veraciter exquirantur. Fabius lib. 5. c. 4. Iſocrates in Trapezitico. Eſther. 12. c. pe. 5. quęſt. 5. c. circuncelliones. 23. quæſt. 5. Io. maior, in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 22. Sylueſter verbo. inquiſitio. 2. §. 9.

4 Itaq; inquiſitores poſſunt, ac debẽt reos torquere, vt errores cõfeſſi, cõuertãtur, & viuãt, & vt eorũ animæ ſaluæ fiant. ille hæreticũ interficit, qui hæreticum eum eſſe patitur: cæte-

cæterũ noſtra correptio, viuificatio
eſt, vt hæreſi moriens, viuat catho-
licæ fidei, vt diuus Hieronymus in-
quit lib.3.aduerſus Pelagianos.

Sed quia nonnunquam in quæ 5
ſtionibus habendis perniciosè erra-
tur,multa prius cõſideranda ſunt,&
illud in primis,non eſſe à quęſtioni-
bus incipiendũ, ſed ita demũ ad eas
veniendũ eſſe,cũ ſuſpectus eſt reus,
& aliis argumẽtis ita vrgetur,vt ſola
eius confeſſio deeſſe videatur. l. 1.ff.
de quęſtionib. l. milites. C. eodem
tit. c. cùm in contemplatione, de
reg. iuris.

Nec ſatis eſt,vt reus ſuſpectus ſit, 6
& argumentis veriſimilibus vrgea-
tur,ſed alia præterea multa neceſſa-
ria ſunt: ſcilicet vt indicia ſingula
plenè probentur. glo. communiter
approbata in l. vlti. C. famil. erciſ.
Bar.& cæteri in l.vlti.ff.de quæſtio.
Hippoly.in pract.§.diligenter.

7 Item illud neceſſarium eſt, vt magna ſint indicia & vehementer vrgentia: leuia enim non ſufficiunt. l. milites. c. de quæſtionib. gloſſ. recepta ab omnibus. in l. cum probatio. ff. de probatio. Bart. & alij in dicta l. vltim.

8 Neceſſe etiam eſt, vt copia indiciorum reo detur cum dilatione ad ea diluenda; id enim natura æquum eſt, & multis legibus comprobatur. l. vnius. ſ. cogniturũ. ff. de quæſtio. l. 3. ſ. ſi ad diem, de re milita. Bar. & reliqui in dicta l. vnius. Boſſius titu. de indiciis.

9 Iniquum quippe eſt, hominem inauditum torquere, cùm defenſionis facultas nulli vnquam denegãda ſit. quòd ſi nemo damnandus eſt in cauſis ciuilibus indicta cauſa; quanto minus in criminalibus? de paruula ſumma iudicaturo tibi res ſine teſte non probaretur, vtrique

parti

parti dares actiones, dares tempus: non ſemel audires, vt ait Seneca libro ſecundo de ira: & hominē torquere audes antequam illi, vel indicia noſſe liceat, vel tempus ad indicia diluenda accipiat? Clem. paſtoralis, de re iudi. c.1. de cauſa poſſeſſio. l. defenſionis facultas. c. de iure fiſci. lib.10.

Ex quibus omnibus aliiſq; multis perſpicuum eſt, iniuſtū abuſum eſſe, atque crudelem eum, qui in quibuſdam tribunalibus inualuit, ſine indiciis torquere homines, vt participes criminum prodant, vel vt quæ vera dixerunt ſponte, eadem rata habeant cum tormentis; eſt enim diuino iuri, atque humano contrarium, torquere ſine indiciis, atque adeo ſine culpa. Nam quid imputari poteſt ei, qui ſponte veritatem dixit? quid ei, qui non habet ſocios criminum? ergo tor-

menta talia iniuſta, crudelia, atque tyrannica ſunt, & ex abuſu, & iniquitate manantia.

11 Opus quoque eſt, vt accuſator poſtulet reum torqueri, & ideò promotor fiſcalis id generaliter petere ſolet in libello accuſatorio. l. de minore. ſ. tormenta. l. patre, vel marito. ff. de quæſt. l. quicunque. C. de ſeruis fugitiuis.

12 Quòd ſi reus nihil probauerit, quo indicia diluantur, tunc inquiſitores eum damnare poſſunt ad id genus tormenti, quod fuerit in ea prouincia vſitatius: & eius ſententię copia reo fieri debet, vt appellare poſſit: eiuſque appellationi deferédum eſt, niſi friuola ſit. l. ante ſententiam. ff. de appellat. recipien. l. per hanc. C. de temp. appellatio. c. cum appellationibus friuolis. de appellat. lib. 6.

13 Hactenus de ordine procedendi vſque

vſque ad executionem quæſtionis, ſatis ferè diximus. ſequitur, vt pauca quæ prius dici oportuit, de indiciis iam diſſeramus. Ac primũ quidem, cùm arguméta, ſigna, & indicia, quibus ſuſpectus eſt reus, ex variis perſonarum, & rerum circunſtantiis oriantur, nulla certa regula bene definiri poſſunt; itaq; arbitrio iudicũ neceſſariò relinquenda ſunt. Bar. & omnes in l. vlti. ff. de quæſt. plurimi citati ab Hippoly. in practi. §. diligenter.

14 Sed neceſſaria eſt ſaltẽ dimidiata, ſiue ſemiplena probatio ad torquẽdum hominem. reus ergo infamatus torqueri poterit, vnius hominis fide digni teſtimonio, de crimine ipſo teſtificãte: quòd ſi reus ſit bonę famę, alia pręterea indicia neceſſaria ſunt, glo. recepta in l. 3. C. leg. Iul. maieſta. Bart. & cæteri in l. maritus. ff. de quæſtio. Cardi. & Imola. in cle.

in cle.1. de hæreti. Squillacen. de fide catho. cap. 31. glo. communiter approbata, in l. in bonę fidei de reb. credi. & in l. admonendi. ff. de iure iuran.

15 Ergo non ſufficit ad quęſtionem teſtimonium ſocij ſiue participis eiuſdem criminis, niſi alia etiam indicia concurrant. l. 4. c. de quæſt. c. vlt. 15. quæſt. 3. Hippolyt. in d. §. diligenter. Blancus in l. vlti. ff. de quæſtio. nu. 378.

16 Confeſſio criminis extra iudiciũ facta, & plenè probata, quia ſemiplenam probationem facit, ſufficit quoque ad habẽdam quæſtionem. l. vlt. ff. de interrogat. actio. gloſſa recepta in l. capite quinto. ff. de adulte. omnes in l. vlti. ff. de quæſtio. & in c. at ſi clerici. de iudi.

17 Quamuis multi putent, fugam rei eſſe ſufficientem ad quæſtionẽ; ea tamen opinio vera non eſt, cùm

variis

variis ex cauſis quiſpiã fugere poſ-
ſit, quæ vel ex toto, vel certè magna
ex parte illum excuſare queant. fu-
git olim Alcibiades, prouerbium il-
lud adiiciens: Vitæ diſcrimen ne
matri quidem committendum: fie-
ri enim ignorantia poſſe, vt nigrum
pro albo ferat lapillum: vt Plutar-
chus in Alcibiade: & Aelianus lib.
13. variæ hiſtoriæ, auctores ſunt.

Fugit quoque Demoſthenes, & 18
epiſtola 2. de ſuo reditu inquit:
Iam ob diſceſſum meum iure iraſci
mihi non poteſtis, nec enim ideo
abij, quod aut de vobis deſperarẽ,
aut vſpiam aliò reſpicerem: ſed pri-
mum carceris ignominiam animo
ferebam grauiter: deinde propter
ætatem, afflictionem illam corpo-
ris perpeti non poteram: & cætera.
ergo qui veritus ſæuitiam iudicum,
aut potentiam aduerſariorum, aut
ob aliam probabilẽ cauſam fugit,
non

non ideò torquendus eſt. c. accedens. 2. vt lit. non conteſta. Bal. in l. bonæ fidei. C. de reb. credi. Blancus in l. vlti. ff. de quæſtionib. nu.285.

19 Reus ſuſpectus, qui vacillat, & peierat, magis ſuſpectus efficitur, atque adeò torqueri poteſt, vt plurimis placet: quamuis titubare, & inconſtanter loqui nonnunquam rei ſoleant magna aliqua perturbatione animi: quod iudices conſiderare attentius debent. l. ex libero. ff. de quęſtionib. & inibi Barto. & cęteri. & in l. de minore, ſ. plurimũ. & in l. vlti. eodem tit. Hippoly. in practi. ſ. diligenter.

20 Propter ſolam famã, quantũlibet publicã, nemo torqueri debet, quia incertiſsima eſt, & plerunque falſa, & pondus teſtimonij non habet. c. qualiter. 2. de accuſa. Bar. & Hippo. in d. §. plurimũ. Pari. conſ. 153. li. 4.

Atque

Atque hæc quidem de indiciis: 21
ſequitur, vt de reis ipſis paucula ſubiiciamus. In pleriſq; criminibus multi torqueri non poſſunt, ſed in cauſa hæreſis illi torquẽdi ſunt, qui in crimine læſæ maieſtatis torqueri poſſunt: quia longè grauius eſt, diuinam quàm humanã lędere maieſtatem. proinde nobiles, decuriones, & cæteri quæſtionibus ſubiici poſſunt. l. nullus. C. ad leg. Iul. maieſt. l. decuriones. C. de quæſtio. authen. Gazaros. de hæreti. c. vergentes, eodem titu. Hippolyt. practi. §. expedita. Grill. de quæſtio. q. 6. Couar lib. 2. reſolut. c. 9.

Minores quoque viginti quinq; 22
annis torqueri poſſunt, quia etiam impuberes terreri queunt in crimine hæreſis, & habenis, vel ferula cędi. l. 1. ſ. impuberi. & l. excipiuntur. ff. ad Syllania. l. de minore. & ibi Hippolyt. de quæſtionibus.

Clerici

23 Clerici, & monachi, & cæteri religioſi torqueri poſſunt pro crimine hæreſis, quia grauius quàm laici delinquunt. c. 1. de depoſito. c. ad abolendam. §. vlti. de hæreti. c. accuſatus. §. vlt. eodem tit. lib. 6.

24 Sed etſi multis indiciis vrgeantur, torqueri tamen nō debent, niſi infamati ſint; & hæc eſt communis opinio iuris peritorum. in c. 1. de depoſito. Feli. in c. veniens. 1. de teſti. Iaſ. in l. magiſtratibus. ff. de iuriſdi. om. iudi. Bernar. in practi. cap. 117. Boer. deciſ. 163.

25 Verùm ea opinio nullo iure probatur: & pluſquàm infamia nocent vrgentia indicia, quæ ex perſpicuis coniecturis oriuntur. Poſtremò in hæreſi, & in aliis criminibus, quæ clanculum perpetrantur, non exigitur ad quæſtionem infamia publica, ſed ſufficit ſemiplena probatio: & ita placet Alciato, cuius ſentētia (meo

(meo quidem iudicio) probabilior eſt. c. ſuper eo, de eo, qui cogno. c. cùm olim, de verbo.ſigni. Alciat.in c.1.de offi.ordina.nu.43.

Quamuis autem hoc ita ſit, cle- 26
rici tamē, & monachi, alijq́ue religioſi homines rarius, & mitius torquendi ſunt: tum propter periculũ excommunicationis, ſi fortè modus excedatur: tum etiam propter reuerētiam religioni debitam, præcipuè ſacerdotibus, quemadmodũ à multis rectiſſimè traditur. Hugo. Archi. Præpoſ. & alij in c.illi qui.5. quæſt.5. Syluester in ſumma, verbo. inquiſitio.2.§.9.Ioan.Bernar.in practi. cap.117. Soto lib. 5. de iuſti. & iure, quæſt.6.art.2.

In criminibus occultis, quę clan- 27
culum cōmittuntur, pronior iudex eſſe poterit ad quæſtionem, quàm in aliis; & eo magis in hæreſi, quæ occultior eſſe ſolet, & cuius cōfeſſio

non modò reipublicæ, ſed ipſimet hæretico plurimum eſt profutura. l. Diuus Pius. ff. de quæſtionibus. l. non omnes. ſ. à barbaris, de re milita. Bald. in l. nemo. C. de epiſcopali audien. Alex. conſil. 77. lib. 1. Decius conſ. 363.

28 Qui cõſitetur ſe dixiſſe, aut ſcripſiſſe hæreſim, ſed negat intentionem impiam, niſi probabilem excuſationẽ afferat, quæſtioni ſubiici poteſt: niſi fortè ſit planè conuictus, & ita vtimur. Cardi. in clem. vlt. de vſuris. Alberti. de aſſertio. catho. quæſt. 36. in fine.

29 Inquiſitor ipſe adeſſe debet quæſtioni, quia plurimum in excutienda veritate, etiã vox ipſa, & cognitionis ſubtilis diligẽtia afferet. Nam ex ſermone, & ex eo, qua quis conſtantia, qua trepidatione quid diceret, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. nemo

autem

autem præſens debet eſſe quæſtioni, præter iudices, tabelliones, atque tortores. l. de minore. ∫. plurimum. ff. de quæſt. Bar. in l. cuſtodias. ff. de publi. iudi.

Iudex autem cautè reum inter- 30
rogare debet, ita vt via mentiendi non aperiatur illi, atque id confiteatur, quod putet iudicem audire velle. itaque generaliter eſt interrogandus, an dixerit aliquid impium; alterũ enim magis ſuggerentis, quàm requirentis eſſe videtur. l. 1. §. qui quæſtionem. ff. de quæſtionibus. & ibi Bar. & Hippolyt. l. 1. ∫. diuus Adrianus, eodem tit.

Nec tantũ de ſe ipſo interrogan- 31
dus eſt reus, ſed etiam de ſociis, de magiſtris, atq; diſcipulis: quos quidem indicare tenetur, etiam non interrogatus, vt alibi dixi. Nam ſi in aliis criminibus non ita grauibus, interrogari poteſt de conſciis;

multo id magis in crimine hæreſis. l. prius. ff. ad Syllania. l. 2. §. Diuus Pius, de iure fiſci, glo. & interpretes in l. vlti. C. de accuſat. Soto lib. 5. de iuſti. & iure. q. 6. art. 2.

32 Quin etiam reus plenè etiã conuictus torqueri poteſt in caput alienum, ſcilicet vt ſocios, aliosq; hæreticos manifeſtet: non tamen ob eam cauſam torqueri debet, niſi ſemiplenè probatum ſit, quòd ſocios criminis habet, aut quòd ſcit alios hæreticos eſſe. l. ex libero. l. vnius. §. teſtes. ff. de quæſtionib. l. qui vlti. ff. de pœnis. l. etſi certus, ad Sylla. & ibi Rom. & Igneus. & in l. vlti. C. de quæſtionibus. Alberi. & Salio Boſſius tit. de tortura teſtium.

33 Tormenta verò arbitrio iudicum moderanda ſunt, ita vt ne reus in ipſis, vel ex ipſis moriatur, & vt ſaluus ſit, vel innocentiæ, vel ſupplicio. l. quæſtionis modum. l. de minore.

nore. §. tormenta. ff. de quæſtionib.

Indicia maiora tormentis maio- 34
ribus purganda ſunt, vt rectè inquit Baldus. Nam leuia indicia commi-natione tormentorũ dumtaxat pur-gari ſolent. Bald. in c. 1. §. ſi Vaſal-lus, de cõtrouer. inueſti. lib. feudo.

Quòd ſi non antecedentibus in- 35
diciis, vel non bene probatis, vel eorum copia reo non data, confeſ-ſio tormentis extorta ſit, etiam ſi reus eam ratam habuerit, nihil ei nocebit. quidquid enim ex iniuria iudicis manat, iniuſtum eſt, & in-iuſtitia cauſa permanet in eius ef-fectu: nec enim ex iniuria ius naſci poteſt. atque hæc quidem ſenten-tia omnium conſenſu recepta eſt, glo. & cæteri in l. pen. ff. de quæſtio-nib. & in c. cùm in contemplatio-ne, de reg. iur. Hippolyt. in practi. ꝯ. ſecunda quæſtio. Soto de ratio-ne tegendi ſecretum membr. 3. q. 1.

& lib.5.de iuſti. & iure. q.6. arti. 2.
36 Sed etſi omnia ſuprà ſcripta ad vnguē ſeruata ſint, reus tamen condemnari nō debet propter cōfeſſionem tormentis extortam, niſi perſeueret in ea. Peſſimum enim eſt, ex confeſſione extorta quenquam iudicare: nec ferenda eſt contraria conſuetudo cùm ſit iniuſta, & ab omni humanitate aliena. diu⁹ Gregorius epiſtola 30. libro 8. & 15.q.6. c.1. glo. Hippo. & alij in l.1.§.diuus Seuerus.ff.de quæſtio.
37 Idem eſt, ſi cōfeſſio extorqueatur metu imminētium tormentorū: ea enim paria ſunt. quin etiam Xenophon lib. 3. de Cyropędia inquit: Metum maiori ſupplicio eſſe hominibus, quàm ſi re ipſa malè afficiantur: metus enim rerum omnium horribiliū maximè animos perterret: vt dubium non ſit, quin maior adhibita vis ei ſit, cuius animus ſit perter-

perterritus, quàm cuius corpus vulneratũ ſit, vt ait Cicero in oratione pro Cęcinna. l. nouiſſima. ff. quod fal. tuto. auto. l. 2. C. quorum appellat. non recipi.

Nec audiendi ſunt qui putãt, nõ 38
eſſe neceſſariam ratihabitionẽ, cùm ventum eſt ad torméta, probatis indiciis maximis, vel antecedente extra iudiciali confeſſione, præſertim geminata. Hæc enim gratis dicuntur, nec iure, aut ratione probãtur: & nihilominus talis cõfeſſio exorta eſt dolore aut metu tormentorum. Anto. Gomeſ. tomo 3. cap. 13. Blancus in l. vlti. ff. de quæſtionib. nume. 208.

Ergo vt confeſſio iſta reo nocere 39
queat, neceſſe eſt, vt poſt aliquod interuallum temporis ratificetur, ita vt ne dolor tormentorum, & vehemẽs animi perturbatio duret. Multi aiunt id eſſe debere ſpacium

vnius diei, quod & regia lege caueatur. Bar. Hippoly. & cæteri in l.1. §. Diuus Seuer⁹. ff. de quæſt. Bal. & alij in l.2. C. de his quæ vi. Tiraquel. de retractu conuentiali. §. 1. glo. 5. nu. 21. Maio. in lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 22.

40 Sunt etiam qui dicunt, non eſſe neceſſariam ratihabitionem, cùm aliquis tortus de alio teſtificatur. ſed meo iudicio errant: quia tale teſtimonium inuoluntarium quodammodo eſt, ac tormentis extortum: & eo magis in cauſa hæreſis, in qua ratihabitio fieri debet coram religioſis perſonis. c. vt officium. §. verũ, de hæreti. lib. 6. Bal. in l. vlt. C. de quęſt. Pariſ. de ſyndicatu verbo tortura. §. teſtis.

41 Si verò reus in quæſtionibus pernegauerit, ac tormenta vicerit, hoc ipſo diluit, & purgat antecedentia indicia; eſtque ſupplicio liberãdus, vt olim Plinius cenſuit libro 8. epiſtola

ſtola ad Ariſtonem. & ea ſententia, tum regia lege ſancita, tum omniũ conſenſu recepta eſt. Bar. in l. vlti. Alberi. in l. edictum. Hippoly. in l. repeti. ff. de quæſt. Boer. deciſ. 163. Aymo. conſil. 168.

Sed nonnunquã tormenta repe- 42
ti poſſunt, cùm reus euidentioribus argumentis opprimitur: cùm indicia noua ſuperueniunt: cùm reus nõ fuit ſufficienter tortus: his enim caſibus reus iterum torqueri tunc demũ poterit, cùm in tormẽta corpus, animusq́; durauerit, nec enim dilaniandus reus, aut excarnificandus eſt. l. repeti. l. vnius. §. 1. ff. de quęſt. Bart. & alij in eadem l. repeti.

Quamuis autem reus interdum 43
in quæſtionem repeti poſſit, bis tantùm torqueri debet: alioqui tormenta in infinitũ abirẽt. l. boues. §. hoc ſermone. ff. de verb. ſignif. Pelagi. de planctu eccleſiæ, lib. 2. art. 41.

44 Quæri ſolet, An reus qui obiecta crimina vi tormentorum confeſſus eſt, & ſequenti die confeſſionem reuocat, ob id iterum torqueri poſsit? Et plerique aiunt repeti quæſtionem poſſe: quia reus vacillauit, & quia ſua confeſsione roborauit antecedentem probationem: demum quia nouum indicium ore ſuo addidit, & ita lege Regia, & Sicula conſtitutione cauetur. Boer. deciſ. 163. Carerius in practi. nume. 190. Boſsius tit. de tortura prope finem.

45 Pluſculum dubitationis habet, cùm reus bis tortus, bis confitetur, & reuocat, an tertiò torquendus ſit? quod quidē multi fieri poſſe putāt, ſed eorum opinio nullo iure probatur. Nam vt antè dixi, repetitio quęſtionis de prima vice accipiēda eſt: & ſecunda confeſsio nō præbet nouum indicium, cùm ſit eadem cum prima.

prima. Poſtremò, quia nullus vnquã foret finis tormentorũ, quemadmodum olim crudeliſsimè factũ eſt, in tyrannicis illis exemplis, à Valerio Maximo libro 8. cap. 4. & à diuo Hieronymo relatis, epiſtola ad Innocentium, de muliere ſepties icta.

Cæterùm opinio illa tunc fortè 46
recipi poſſet, cùm reus bis fuerit remiſsè tortus, & cũ in poſteriore cõfeſsione aliqua noua indicia prodiderit: alioqui cùm ſatis quæſitũ ſit, non vltrà torquẽdus eſt reus. Angel. de malefi. in verbo, fama publica, quæſt. 9. Hippoly. in l. repeti. ff. de quæſt. Grillã. quæſt. 7. Tho. Gramma. cõſil. 45. Boer. deciſ. 163. col. vlti. Carerius in practi. nu. 194.

Iudices autem, & conſultores ea 47
conſiderare debent, quæ Fabius ait ab oratoribus eſſe cõſideranda, idq; multo maximè, quia hi ſuadent, illi diiudi-

diiudicant, hi ius alterius litigato-ris, illi cauſam vtriuſque perpendunt: ad extremum, quia hi dicunt, quæ volunt; illi verò ea dumtaxat, quæ iuſta ſint, proferre, atque exequi debent. quædam igitur (inquit Fabius) propria ſunt cuiuſque litis: Nam ſiue de habenda quæſtione agatur, plurimum intererit, quis, & in quem poſtulet; aut offerat, & in quem, & ex qua cauſa: ſiue iam erit habita; quis ei præfuerit, quis & quomodo ſit tortus, an credibilia dixerit, an inter ſe conſtantia: perſeuerauerit in eo, quod cœperat; an aliquid dolore mutauerit: prima parte quæſtionis, an pręcedente cruciatu, quæ vtrinque tam infinita ſunt, quàm ipſa rerum varietas. hæc ille lib. 5.

De ab-

CATHOLICA Chriſti eccleſia non modò hæreticos punit, ſed etiã ſuſpicionem hæreſis quantumlibet leuem tolerare non vult. Eſt enim anima noſtra Deo Chriſto deſponſa, cui virginitatem fidei omnimodo ſeruare tenetur, dicente Apoſtolo: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* hæretici autem virgines dici non poſſunt, quia ſenſu adulterino corrupti ſunt, & virginitatem veritatis Chriſti, adulterino ſenſu corrumpunt. Et ſicut olim ad eluendam ſuſpicionẽ adulterij, duriſſima lege vir vti poterat, vt in libro Numeri legitur, capite 5. ſic hodie catholica eccleſia diuinè admodum conſtituit, vt ſuſpicio hæreſis tormentis, abiuratione, vel purgatione diluatur. an fidem non ſeruare, leuius eſt animã Deo, quàm fœminam viro? inquit Auguſtinus epiſto-

epiſtola 50. Apoſtolus 2.Corin.11.

2 De tormentis ſatis multa diximus, nunc verò de abiuratione diſſeramus: ac primum hoc nomine pontificij frequenter vtuntur, ſed ex aliis auctoribus apud Eutropium tantùm id me legiſſe memini; is enim libro primo rerum Romanarum inquit: Quanta mala Romani continua illa regum dominatione pertulerint, non ſolùm vnius regis expulſio, verùm etiam abiuratio regij nominis, & poteſtatis oſtendit. Et quamuis abiurare varias habeat ſignificationes, vt in catholicis inſtitutionibus retuli, in propoſito tamẽ abiurare eſt, execrari, ſiue anathemare.

3 Tribus ex cauſis fit abiuratio, vel propter vehementem ſuſpicionem, vel propter leuem, aut abiurantur errores ab hæretico pœnitente. Itaque duobus modis fit abiuratio:

vno

vno modo a ſuſpectis, altero ab hęreticis ad eccleſiam cōuerſis. Primi abiurant errores, de quibus vehementer, aut leuiter ſuſpecti ſunt: ſecundi abiurant hæreſes, quibus infecti fuere.

De ſuſpectis abiurationibus ſunt 4
exempla in magna ſynodo Chalcedonenſi: vbi actione octaua, Theodoretus propter ſuſpicionem abiurauit. Et actione nona, Iba epiſcopus de quibuſdam erroribus accuſatus, quamuis fuerit inuentus innoxius, propter ſuſpicionem tamen coactus eſt dicere: etiam in ſcripto anathemaui Neſtorium, eiusque dogmata, & nunc anathemo eum decies millies, & omnem illum, qui non ſapit, ſicut hæc ſancta Synodus, anathemo.

Plurimum refert, an propter ve- 5
hementem ſuſpicionem quiſpiam abiuret errores, an propter leuem: prior

prior enim ſi repertus fuerit poſt abiurationem in hæreſim incidiſſe, habetur pro conſummato relapſo: poſterior verò non item. Errant ergo qui putant relapſum quoq; eſſe, qui propter leuem ſuſpicionem abiurauerat hæreſes, & poſtea in eas inciderit. c.accuſatus, de hæreti. lib. 6. vbi videtur errare Ancha. & Matthæ. in conſtit. Regni Neapol. tit. 1. col. 8.

6 Hæretici verò, qui ad ſinum eccleſiæ redeunt, abiurare ſiue execrari hæreſes debent, & errores ſuos damnare, atque auctores errorum: quemadmodum ſępe conſtitutum, & ad effectum perductum eſt. concil. 2. Arelaten. concil. Laodicæno. c.7. Sexta ſynodo generali, canone 94. diuus Auguſtinus epiſtola 95. c. ſaluberrimum. 1. quæſt. 7.

7 Neque ſolùm hæreſes abiurare, ſed palinodiam canere debēt, id eſt, recan-

recantare ſuos errores, & meliore ſententia corrigere, & contraria erroribus aſſerere. Synodus Epheſina ſub Cæleſtino primo. c. donatum. 1.quæſt.7.

Iurare quoque debent, ſe nunquam ad abiuratos errores eſſe reuerſuros; quę omnia non voce modò, ſed ſcripto etiam cõfirmare debent, ſubſcribentes libellis abiurationis, quod ab ipſis Apoſtolorum temporibus dicitur eſſe vſitatum. Prima ſynodo Nicęna. c. 8. & alia ſynodo ſub Martino primo. Leo Magnus epiſtola 2. ſynodo.7. generali. actione 1. & ſynodo 8. actione 2. & ſæpe alibi. c. ſi quis epiſcopus. c. conuenientibus. 1. q. 7. c. ego, de conſecrat. diſtin.2. Auguſt. epiſtola 96. Nicephorus lib. 16. Hiſto. eccleſ. c.26. 8

Qui incidit in hæreſim, etiam vnã tantùm, abiurare debet omnes 9

hęreſes, quod quidem antiqua conſuetudine, & omnibus abiurãdi formulis receptũ eſt. Iam ergo inutilis quęſtio illa eſt, quę pontificios torquere ſolebat, vtrũ is, qui vnã hæreſim abiurat, & poſtea in aliã incidit, ſit iudicandus relapſus: itaque prætereo eam, vt non neceſſariam.

10 Clarè autem, & nominatim abiurandi ſunt errores, quos abiurans credidit, vel de quibus ſuſpectus ſit: nec ſufficit obſcura, & generalis abiuratio. magna Synodo Chalcedo. actione 8. Magnus Leo epiſtola 84. deciſ. Rotę antiqua. 875. & noua ſub tit. de hæreti. Decius conſil. 137. Boer. deciſ. 343.

11 Schiſmatici quoq; abiurare debent ſchiſma, eodẽ ferè ordine, quo hæretici abiurant hęreſes. cuius abiurationis antiquitatem, & vſum ex Cypriano, & aliis, hic breuiter laudatis, intelliges. Cypri. li. 3. epiſt. 11.

Leo

Leo epiſt. 3. epiſt. 85. c. 3. c. omnis cuiuſlibet.1.q.1. c. quoties. c. maximum. 1.quæſt.7.

Olim abiurabãtur errores in cõciliis generalib⁹, & prouincialibus: hodie verò coram clero, & populo publicè fit abiuratio, nec priuatim fieri debet, niſi magna ex cauſa, cap. ſi quis epiſcopus. 1.q.7.c.ad abolendam, de hæreti. c. inter ſollicitudines, de purg.can. Leo epi. 75. 12

Qui autem abiurare non vult ad arbitrium epiſcopi, & inquiſitorũ, tanquam contumax, & impœnitens poterit curiæ ſeculari relinqui. Leo epiſt.10. & epiſt.84. dicto c. ad abolendam. 13

Plures verò ſimul abiurare poſſunt prælegẽte ſecretario, vt Hiſpaniarum conſuetudine receptum eſt: & conſequenti die ſubſcribunt libellis abiurationis, & ſe obligant ad pœnas illic ſcriptas, idque breuiter 14

& cōmodiſſimè fit, nec video quid obſtare illi conſuetudini queat.

15 Poſtremò, formulas abiurandi, quia prolixiores ſunt, hoc loco indicaſſe ſufficiat. Vnam inuenies in concilio Conſtancienſi.ſeſſ. 19. Alteram, in c. Ego Berengarius, de cōſecrat.diſtin.2. Tertiam, apud Cardinalem Turrecrem.lib.4. de eccleſia, parte 2.ca.22. Quartā, apud Alfonſ.Caſtr. lib.1.de iuſta hæreti.punit. c. vlti.

De purgatione. TIT. LIIII.

1 Post abiurationem ſequitur, vt de purgatione diſſeramus: quia vt antè dixi, ſuſpiciones purgatione quoq; dilui póſſunt, & hoc quoque remedio inquiſitores Hiſpaniæ rarò quidem, ſed nonnunquam vtuntur. Nam vt Godofredus vir doctus, & pius inquit: Puniuntur ſuſpecti hæreſeos in religioſiſſimis Hiſpa-

Hiſpaniæ regnis, vel hoc maximè, hac tempeſtate triumphantibus, & ſingulari laude dignis, quòd nulla non ſolùm planè hæreſis, verùm ne ſuſpicio quidem hæreſeos ſine digna, vel momento maneat, nota. hæc ille in l.2. c.de hæreti.

Eſt autem purgatio, de obiecto crimine innocentię oſtenſio, vt plerique omnes aiunt. ſed non quæcunque innocentiæ oſtenſio, purgatio canonica eſt. nam omnis plena defenſio innocentiam reorum oſtendit: ſed ea duntaxat purgatio canonica dici ſolet, quæ ſecundum leges pontificias, & ſacros canones fit. Rayne. Gofred. Sylueſter, & cæteri in ſummis, verbo Purgatio. 2

Ad hanc purgationē perueniendum non eſt, niſi cùm reus publica laborat infamia, & crimen plenè probatum non eſt. Nam ſi alterum deſit, purgatione opus non eſt, ſed 3

vel abſolutione, vel condemnatione. c. nos inter. c. ſi quis de gradu. cap. cùm dilectus, de purgat. cano. l. qui accuſare. C. de eden.

4 Præterea neceſſe eſt, vt cauſa, & origo infamiæ nec ab inimicis, vel maleuolis, nec ab infamibus, aut leuibus hominib⁹ orta ſit: pręſertim, cũ apud bonos & graues viros reorũ exiſtimatio læſa nõ eſt. c. cùm in iuuentute. c. pen. de purgat. cano. c. inquiſitionis. ſ. vlti. de accuſatio.

5 Poteſt etiam reus ad purgationẽ damnari propter graue ſcandalũ ab eo malè datũ: & propter magnam, & publicam infamiam, & propter vehementem ſuſpicionem ex teſtiũ dictis exortam: & vt rectè Decius inquit, recto iudicis arbitrio id neceſſariò relinquẽdum eſt: quia perſonarum, & rerum circunſtantiæ legibus definiri non poſſunt. c. inter ſollicitudines. c. cùm in iuuentute,

de

de purgat.cano. Dec.in c. at ſi clerici, de iudiciis.nume.10.

Qua ratione purgatorum quoq; 6 numerus in arbitrio iudicis eſt, ita tamen, vt plures præfiniantur, cùm reus maiore laborat infamia, & grauioribus ſuſpicionibus premitur, quamobrem iura ipſa, modò plures, modò pauciores expurgatores requirunt, nimirum, arbitrio iudicum id relinquentia. c.omnibus. c. presbyter.2.quæſt.5.c.ex tuarum, de purgat. canoni. c. ſignificaſti, de adulter. c. inquiſitionis. ſ. vlti. de purgatio.

Purgatores eligi debēt ij, qui eandem dignitatem, & conditionē habent, quam reus ipſe. Si verò tales non inueniantur, ſaltem eligendi ſunt viri probi, & exiſtimationis bonæ, qui vitam, & mores ſuſpecti nō tam præſenti tempore nouerint, quàm præterito.c. ſi legitimi. 2.q.4. 7

c.cum P. c.conſtitutis. c.inter ſollicitudines. c. cùm dilectus, de pur. can.

8 Viles, & plebei homines, & malo genere nati, non ſunt damnandi, vt ſe purgent: quia expurgatores nō inueniēt, & quia huiuſmodi homines melius torqueri poſſunt, quàm nobiles. quòd ſi fortè ad hanc purgationem damnentur, & bonos expurgatores non inuenerint: recipiendi erunt alij mediocres, né defenſionis facultas eis denegetur. c. in iuuentute, & ibi glo. & omnes Archid. & cæteri in c. ſi legitimi. 2. q.4. Abbas, & alij in c.inter ſollicitudines.de purga.cano.

9 Ergo purgatio hæc ad eos, qui ſunt in honoribus conſtituti, magis pertinet, quorū fama aliis neceſſaria eſt. Sic multi ſummi pontifices publicè ſe ipſos purgarunt. Paſchalis primus, Damaſus, Symmachus, Leo

tertius,

tertius, Gregorius ſeptimus, Sixtus tertius, & Pelagius primus, ſicuti Platina, aliiq́ue in vitis pontificum prodiderunt. c. mandaſtis. c. auditum. 2. q. 5. Pighius lib. 6. Hier. eccle. c. 17. Brunus lib. 4. de hæret. c. 11.

Qui verò ad arbitrium iudicum ſe purgare noluerit, tanquam conuictus puniri debet: nec opus eſt, per annũ integrũ expectare, quamuis ea dilatio ei conceſſa eſſe videatur. indignus enim eſt ea dilatione cõtumax, atque pertinax, niſi fortè ſit abſens. c. excommunicamus. §. adiicimus, de hæreti. ca. tua nos, de cohabi. cleri. & mulie. Innocen. Abbas, & cæteri in c. cum P. Manconulla de purga. cano. 10

Qui deficit in purgatione, pro conuicto habetur, & puniendus eſt pœna criminis ſecundum modum, quo cauſa eius acta eſt. ſi fuit accuſatus, coercendus eſt pœna ordina- 11

ria: ſi verò inquiſitus, vel denuntiatus, arbitrio iudicum pœna moderanda eſt, c. de hoc, de ſimo. c. inquiſitionis, de accuſat. omnes in ca. inter ſollicitudines, de purgat cano. & in c. accedens, de accuſat. Ioan. Bernar. in practi. cap. 141.

12 Cùm igitur de crimine hæreſis promotor fiſcalis ſemper accuſet: relinquitur planè, vt reus in purgatione deficiens, tanquam conſummatus hæreticus puniendus ſit: & ita Abbas, & cęteri tradunt, in dicto cap. inter ſollicitudines.

13 Ne autem ambigi poſſit, quis dicatur in purgatione deficere, iudices id antè definire debent: ſcilicet, vt ſi defecerit in duobus, vel tribus, pro conuicto habeatur. Nam cùm hoc expreſsè cautum non ſit, intelligi debet arbitrio iudicum eſſe relictum. c. ad abolendam. de hæreti. l. 1. ff. de iure deliberan.

Sed

Sed vtrum is, qui in purgatione 14
deficit, recipiendus ſit, pœnitere volens? Et ſiquidem errores ſuos plenè confiteatur, non video cur eccleſiæ gremio nõ ſit excipiendus: ne ficta, ſiue præſumpta probatio plus noceat, quàm certa, & vera, quæ teſtibus fit. Nam ſi pœnitere poteſt, qui conuictus teſtibus eſt, vtique & ille quoque, qui pro conuicto habetur. l.filio, quem pater.ff.de libe.& poſthu.cap.afferte.de præſumptio.

Reus iurare debet coram expur- 15
gatoribus, ſe crimina de quibus ſuſpectus eſt, nõ commiſiſſe: illi verò ſeorſum dicere debent, an credant, eum verè, vel falsò iuraſſe. itaq; reus de veritate, purgatores de credulitate iurant. c. quoties. 2. quæſt. 5. c. quoties, de purgat. canoni.

Perdifficilis quæſtio eſt, vtrũ hæc 16
omnia ſimul cumulari queãt, tormẽta, abiuratio, purgatio, & alię pœnæ arbi-

arbitrariæ? Plerique putant cumulari poſſe, cùm id indiciorum qualitas exigere videbitur, & quamuis eam ſententiam in catholicis inſtitutionibus planè confutauerim: ne tamen ipſe ſolus tot viris doctis, ac receptæ conſuetudini omnimodo contradicam, diſtinctione hac in præſentia vtar: Aut reus ſufficienter eſt tortus, & tunc abſoluendus eſt, (vt ſuo loco dixi) pręterquàm ab expēſis culpa ſua factis. Aut remiſſius fuit tortus, & eo caſu, ſicuti tormēta repeti poſſunt, ſic ad aliud remediū iudices peruenire poſſunt: præſertim cùm in tormēta corpus, animusve non durat.

17 Aut quiſpiam rectè purgatus eſt, & tunc præter expenſas ſua culpa, vel iuſta occaſione factas: quas æquum non eſt, vt ſoluat promotor fiſcalis, qui iuſtiſſimam cauſam habuit illum accuſandi: exiſtimarim ad

ad aliam pœnam deueniendum nõ eſſe: id enim leges nominatim prohibere videntur: c. ex tuarũ, de purg. canoni. c. habet. c. Menam. 2. quęſt. 4. c. 1. 15. quæſt. 5.

Aut aliquis abiurare cogitur propter vehementes ſuſpiciones: & hoc tantùm caſu arbitror, ad aliam pecuniariam pœnam, ac detruſionem in monaſteriũ, vel quidpiam ſimile eum poſſe damnari. quia qui negat ſe fuiſſe hæreticum, quid magni facit, ſi errores abiuret? quid quod abiuratio nõ tam pœna, quàm cautio in futurum eſſe videtur, c. inter ſollicitudines, de purgat. canoni. & ibi Innocen. Hoſtien. Ioan. And. Anto. Anchara. & Cardi. 18

Nam quòd multa illa remedia cumulentur, quorũm ſingula ſufficere queant, crudele admodum eſt, nec id voluiſſe Cardinalẽ, aut quempiam alium puto. Nec mirũ videri debet, 19

debet, ſi is qui à crimine abſoluitur, in expenſis damnetur: quia ſi indicia efficiũt, vt quiſpiam torqueatur, & purgetur, & nihilominus à crimine abſoluitur: quantò magis ſufficient, vt reus abſolutus, damnari poſſit in expẽſis à promotore fiſcali propter publicam vtilitatem rectiſſimè factis? vide Cardina. in clem. 1. de vſuris, col. vlti. Fran. Squillacen. de fide catho. cap. 31.

De excommunicatione.

TIT. LV.

1 VENIO nunc ad hæreticorum pœnas; quarum prima eſt excommunicatio: nam in eã incidunt ipſo iure, atq; à cõmunione fideliũ diris proſcriptionibus eiiciuntur. Eſt verò pœna horribilis, & pertimeſcẽda: quia (vt ait Hieronymus, epiſtola ad Heliodorum) Eiectũs de eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur. &

D. Chry-

D. Chryſoſtomus, ac Theophylact' addunt: quicũque ex eccleſia fuerit eiectus, & Spiritu ſancto priuatus, erit hic miſer perfacilis in capturã. Iſtiuſmodi nanq; mox Deus, & peccatis obnoxios caſtigandi gratia, & morbis affligit, & malis vrgebit, ca. ſicut. cap. excõmunicam'. de hęreti. c. abſit. 11. quęſt. 3. Theophyla. 1. Timo. 1. & ibi Chryſoſto. homilia 5.

Nec tantũ in fide ſuſpecti, ſed alij etiam, qui per annũ in excommunicatione animo pertinaci perſtiterint, exinde tanquam hęretici priores; & poſteriores tanquam in fide ſuſpecti puniri poſſunt, ca. excommunicamus. ∫. qui autem, de hæreti. & illic Felinus poſt alios. concil. Triden. ſeſſ. 25. decreti reformationis. cap. 3. in fine. 2

Hæreticus etiam poſt mortem ſolet excommunicatus declarari, ne quiſpiam oret pro eo: anathemari 3

quoque

quoque poteſt, id eſt, extrema deteſtatione maledici. Nam cùm eccleſiaſtici iudices dira, & vltima exempla animaduerſionis ſuæ ſtatuunt in reos: ad capita deuouenda deſcendunt, & anathemate plectũt, & animas eorũ inferis ſacrãt: quod & in mortuos hęreticos iure ac meritò faciunt. c. Engeltrudam. 3. q. 4. c. debent. 11. q. 3.

De bonis hæreticorum.
TIT. LVI.

1 ALTERA pœna hæreticorum eſt, publicatio bonorum. hæreticus enim, vt exemplo aliis ſit, etiam egeſtate laborare debet. atque vt rectiſſimè Ariſtoteles inquit: Ne languori corpus incumbat, volẽs conualeſcere, aquam prius & inediam exhibet: ita qui nequam habuerit animã, ne quippiam mali exerceat, ei opulentia, & imperium, & domina-

minatus, & omnino alia id genus ſunt auferenda: idq́; eò magis, quo mobilior, mutabiliorq́; eſt corpore anima. hæc ille lib. 2. magn. mora. cap. 4. l. bona fides. ff. depoſiti.

Ergo bona omnia hæreticorum 2
ipſo iure publicantur, etiam ſi filios habeant catholicos. Nam & in aliis criminibus cùm bona reorum confiſcantur, nulla filiorum ratio habetur. c. vergẽtis. de hęreti. Authen. Gazaros. C. de hæreti. l. vlti. C. de bon. proſcripto. c. cũ ſecũdũ. de hæreti. lib. 6. & ibidem glo. & omnes. Brunus lib. 5. de hæreti. cap. 6.

Nec obſtant verba illa Innocen- 3
tij tertij, niſi ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum conſortium, miſereri aliquis voluerit. non enim iudicum arbitrio id relinquitur, qui legum miniſtri ſunt: ſed eorum indulgentiæ ad quos bona illa pertinent: eorum enim eſt

miſericordia vti poſſe, ac bona publicata donare, ſi voluerint. adde quòd recentiore conſtitutione iudices aſtringuntur abſque vlla exceptione. c. vergentis, de hæreti. c. cùm ſecundum, eodem tit. lib. 6.

4 Publicantur inquam omnia hæreticorum bona mobilia, immobilia, & mouentia, iura quoque & actiones, & quidquid ad eos quoquo modo pertinet, dicto c. cùm ſecundum. l. bonorum. l. mouentiū. ff. de verbo. ſignifica.

5 Confiſcantur autem à die commiſſi criminis, per omne tempus, quo hæreticus permanſit in hæreſi. dicto cap. cùm ſecundum, & ibi omnes l. vlti. C. ad leg. Iuli. maieſta.

6 Sed bonorū publicatio non porrigitur ad bona futura, id eſt ad ea, quæ poſt condemnationem olim hæreticus, iam pœnitens acquiſierit.

rit. l. ſi mandauero tibi. ſ. is cuius bona. ff. manda. l. eius qui. ſ. 1. de teſtamen. c. felicis. ſ. verum de pœnis.lib.6.

Nec bona aliena occupanda ſunt 7
cum bonis hæretici, ſed illico dominis ſunt reſtituēda. l.in fraudem. §.ex his.ff. de iure fiſci. l.ſi ventri.ff. de reb. auto. iudi. poſſiden. c. ſæpe. de reſti.ſpoliato.

Fiſcus ex bonis publicatis ſol- 8
uere tenetur creditoribus omne id, quod antequam in errores incideret,eis debebat hæreticus. l.1.c.pœnis fiſcalibus creditores præferri. l. nō poſſunt.l. in ſumma.l.quod placuit.ff.de iure fiſci.

Bona hæreticorum poſt ſenten- 9
tiam declaratoriā ab inquiſitoribus latam, confiſcari poſſunt à dominis temporalibus eius prouinciæ, in qua ipſa bona reperta fuerint. c. vergentis, de hæreti. omnes in c.

cùm ſecundum leges, eodem titulo lib.6. Aymo. conſil. 128. Boſſius tit. de bonorum publicatione, nu. 62. Plurimas alias quæſtiones copioſè retuli, & luculentius diſputaui in meis catholicis inſtitutionibus ſub eodem titulo, De bonis hęreticorũ. illinc aſſumi poterunt, quę ad hunc locũ pertinebunt, nec enim ea omnia Enchiridio concludi queunt.

De carcere perpetuo.
TIT. LVII.

1 Carcer iure ciuili ad continendos, & cuſtodiendos homines, non ad puniendos habetur. Ideoq; eodem iure cautũ eſt, ne quis liber homo ad vincula perpetua damnetur. l.aut damnum.§.ſolent.l.mandatis.ff.de pœnis.

2 Iure autem pontificio carcer habetur non ad cuſtodiam ſolùm; ſed etiam ad pœnam. Nam cùm ſacri cano-

canones mortis pœnam irrogare nõ queant, ne grauia crimina ſint impunita, carceris perpetui pœnã imponunt. Sic olim Cicero oratione 4.in Catilinam dixit: Vincula ſempiterna ad ſingularem pœnam nefarij ſceleris eſſe inuenta. qua pœna nonnunquam hæretici pœnitentes coercentur. c.pen.de hæreti.

Sed hæc pœna perpetui carceris 3
poſt lapſum triennij remitti ſolet: quod & Plato ferè tradit, qui libro 10. de legibus inquit: Impius qui poſt quinquenniũ in carcere tranſactum, modeſtior factus fuerit, ille in poſterum vnà cum modeſtis habitet. c. vt commiſſi. ſ. necnon, de hæreti.lib.6. Authen.de monachis, ſ.ſi verò. c.legem.53.diſtin. c.de viro 12.quæſt.2.

Damnatus ad perpetuum carce- 4
rem, qui ab eo fugit, hoc ipſo videtur fictè conuerſus, & in errorem

priſtinum recidiſſe : quamobrem condemnari poteſt,vt relapſus. hæc eſt multorum opinio (mea quidem ſententia) & crudelis, & falſa. omnes in d. ſ. necnon. & in c. pe. eo. tit.lib.5.

5 Ego verò ab iſtis vehemẽter diſſentio, quia is qui è carcere fugit, impœnitens eſt, non relapſus. nec enim hæreſim aliquam fuga ipſa committit: nec iudices poſſunt fingere illum eſſe relapſum, quem lex nulla fingit. Ergo ſi pœnitere velit, audiendus eſt,ac de fuga dumtaxat puniendus.l. etſi fortè.ff.de caſtren. pecu.l. aut damnum. ſ.quiſquis.ff. de pœnis.

6 Quidam putant, eum qui damnatus eſt ad perpetuum carcerem, teſtamentum facere nõ poſſe. quorum opinio mihi nõ probatur, quia non eſt ille ſeruus pœnæ, ſed pœnitentiam agit, nec iure vllo inteſtabi-

ſtabilis eſt. Abb. in c. tuæ, de pœnis. Bal. in l.1. C.de ſacroſan.eccleſ. Bertran.conſi.194.lib.1.

De pœnitentibus. TIT. LVIII.

IN cæteris quidem criminibus 1
nihil pœnitentia prodeſt, vt nocens à legum pœnis liberetur: ſolis hæreticis pœnitentibus venia conceditur; & in ſacro inquiſitorum foro iuris clementia eſt. c.ad abolendam de hæreti.l.4.C.eodem titulo. l. qui ea mente.ff.de furtis.

Diuus Ambroſius lib.2. de Cain 2
& Abel. cap.9. Eſt quædam, inquit, in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec deriuare culpã, ſed recognoſcere. mitigat iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.

Nõ tamẽ omnino illis ignoſcitur, 3
ſed errores abiurare, ac publicã pœnitentiã agere debent, induti ſacco:

qui veſtitus pœnitentiæ eſt. Nam enormia crimina confeſſione publica coercenda ſunt. c.ego.de conſecrat. diſtin. 2. c. iudicet. de pœnit. diſt.1.c. in capite.50. diſt. c. Achab. de pœnit.diſt.3.

4 Præterea bona hęreticorum ipſo iure confiſcantur, & hæretici beneficiis eccleſiaſticis priuati ſunt: nec ea recuperant, quamuis ad ſinum eccleſiæ redeant. qua in re Pariſius, & Rebuffus contrarium putantes, decepti ſunt. ille conſil.2. lib.4. hic verò tractatu de pacificis poſſeſſionibus.nu.196.

5 Nam etſi nonnunquã bona pœnitentium non publicãtur, id principum clementia interdum conceditur, non autem iure communi.c. vergentis, de hæreti. c. cùm ſecundum,eodem tit.lib.6. Felinus conſil.10. Brunus lib.5.de hæreti.c.6.

6 Quæſtio implicata eſt, quomodo, &

do, & quando hæretici pœnitentes recipiendi ſunt: quia non omnium pœnitentium par cauſa eſt. hi verò qui ſponte, priuſquam comprehendantur, veniam petunt, benignè recipiendi ſunt. l. quiſquis. §. vlti. C. ad leg. Iul. maieſta. Hoſti. & Fel. in c. de hoc, de ſimo.

Qui autem in carcere mancipati, 7
cõfitentur errores, recipiendi quoque ſunt, ſed pœnis ſuprà ſcriptis coerceri debent: quamuis non deſint, qui putent, huiuſmodi confeſſiones nõ eſſe ſpõte factas, ac proinde recipiendos non eſſe tales pœnitentes. ſed hæc opinio ab aliis omnibus exploſa, eiectaque eſt. c. ad abolendam, de hæreti. Grillan. q.5. Alexan. conſil. 9. lib. 7. Syluanus conſil. 89.

Quinimo qui confitetur hære- 8
ſes, antequam ei teſtimonia edantur, ad perpetuum carcerem damnandus

nandus non eſt, quia nondum deprehenſus, nec teſtibus conuictus eſt. & ita communiter ab omnibus traditur, poſt Hoſtienſem. in ſumma, tit. de hæreti. §. qualiter deprehenſus.

9 Dicitur autem deprehenſus in hæreſi, qui euidentia facti deprehēditur hæreſes docens, vel qui aſſeuerat voce ſua hæreſes, vel qui teſtibus, aut legitimis probationibus conuincitur: vt ab omnibus iuris peritis communiter traditur. qui verò ante has deprehenſiones confitetur errores, & veniam petit, is arbitrio iudicum damnandus eſt ad carcerem temporalem, bonis publicatis, vt antè dixi. quia cùm lex nulla ſit, quæ talem pœnitentem condemnet ad perpetuū carcerem, id arbitrio iudicum relinquendum eſt. l. 1. ff. de iure de lib. c. menſuram. de pœnit. diſtin. 1.

Qui

Qui verò manifeſtè fuerit in 10
hæreſi deprehenſus, niſi continuò poſt deprehenſionem ad fidei catholicæ vnitatem ſponte recurrerit, ſecularis iudicis arbitrio relinquendus eſt, quemadmodum Lucius tertius conſtituit. cap. ad abolendam. de hæreti.

Sed fuit caſus ille omiſſus in ea- 11
dem conſtitutione, cùm hæreticus manifeſtè deprehenſus, continuò redit ad ſinum eccleſiæ, quid cum eo fieri debet. Et hoc ſupplet Gregorius nonus dicẽs: Qui poſtquam fuerint deprehenſi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur. itaque non ſunt contraria illa iura, vt Laurentius Syluanus malè putauit, ſed diuerſa ſunt, & quæſtiones diuerſas terminant. c. pen. ¶. ſi qui autem. de hæreti.

12 Vidi ego legem illam Gregorij noni in quibuſdã editionibus valde corruptam: habẽt enim pro verbo voluerint, noluerint, id eſt, non voluerint, negationem loco affirmationis: at facilis fuit lapſus in ſcriptore, aut impreſſore: ſed non defuit iuris peritus, qui defenderé voluit errorem, ſatis imperitè volens, vt hæretici pertinaces, qui ad ſinum eccleſiæ redire non volunt, iudici ſeculari non relinquantur, ſed in perpetuum carcerem coniiciantur, contra iura vulgaria, & cõtra rempublicam.

13 Verùm quæſtionis eſt vſquequo recipiendi ſunt pœnitentes, & prætermiſſis opinionibus alibi à me relatis, & confutatis, vera ſententia eſſe videtur ea, quæ vſu recepta, & inſtructione Hiſpaniæ confirmata eſt: vt vſque ad ſententiam diffinitiuã eccleſiæ gremio excipi queant, quod

quod & Gerſon, & aliqui tradunt. Verba Gerſonis ſunt hæc: Difficillimum eſt, cõuincere aliquem pertinacem, & incorrigibilem fuiſſe ante iudiciũ. Nam etſi millies proteſtatus fuerit ante ſententiã, quod defendet errorem ſuum: admittitur tamẽ ad veniam in puncto ſententiæ proferendæ, ſi ſe monſtret pœnitere, & velle ſtare iudicio ſuperioris: quamuis Occam videatur oppoſitum tenuiſſe: cõtra quem eſt vſus, & lex eccleſiæ. hæc ille tractatu de ſchiſmate. Gonſal. de hæretica prauitate q. 20. Alberti. in c. 1. de hæreti. lib. 6. q. 12. Alfonſ. lib. 1. de iuſta hæreti. punit. c. 22. Bertran. conſil. 212. lib. 2.

His tamen vehementer obſtare 14
videtur conſtitutio Lucij tertij, quę exigit, vt ſponte, continuò, confeſtim hęreticus veniam petat: ſed ea verba cũ temperamento accipienda

ſunt,

ſunt, ſponte enim fieri quoque dicitur quod fit alio impellente. Cicero ad Atticum: Quod profectò cum ſua ſponte, cùm te inſtante faciet. & libro de Oratore: Si ſua ſponte quò impellimus, inclinant. quin etiam ſponte fit, quod nulla vi adhibita fit. Idem Cicero de Senectute: Senes autem ſicut ſua ſponte nulla adhibita vi conſumptus ignis extinguitur. d.c. ad abolendam.

15 Itaque ſponte confitetur hæreticus, qui voluntate ſua nulla vi adhibita in carcere confitetur, quod ex materia ſubiecta planè perſpicitur: quia ſponte confiteri dicitur in eadem conſtitutione, qui coniectus in carcerem, & manifeſtè deprehenſus in hæreſi aſſeueratione ſua pertinaci, vel teſtibus aut ſcriptis conuictus, confitetur errores. Adde quòd non omnis coactio voluntatem excludit, cogitur aliquis vi ve-

ritatis,

ritatis, cogitur alius conſcientia, & item alius voluntate ſua, vt Comicus inquit in Andria: Coactus tua voluntate es. & in eodem opere: Coactus legibus eam vxorē ducet. & in Adelphis: Quod vos ius cogit, id voluntate impetret. ſic hęreticus iure diuino, metu damnationis æternæ, conſcientia ſua cogi poteſt, vt ſponte confiteatur: & quod volūtariè fit, etiam ſi neceſſitate fiat, liberè tamē fit. d.c.ad abolendam.& ibi glo.& omnes l.ſi mulier.§. vlti.ff. quod metus cauſa.

Pluſculum dubitationis habet, cùm cōfeſſio vi adhibita, id eſt tormentis extorquetur: ſed cùm reus eam ratam habet, ſpōte quidem id facit, atque adeò recipiendus eſt: quemadmodum omnium conſenſu receptum, & rectiſſimè vſitatum eſt: contra Laurentium Syluanum, qui iterum errat conſil.89.

16 Supereſt, vt alterum ſcrupulum eximamus, videtur enim quòd non ſit pœnitens recipiendus, qui continuò, ſiue confeſtim ad ſinum eccleſiæ non recurrit: ſed lex id exigit, poſtquam fuerit in hæreſi deprehenſus, vt antè dixi. & illæ dictiones cum temperamento temporis accipiendæ ſunt, & nonnunquam pro ſubiecta materia longum interuallum admittunt, quod quidem in propoſito nõ ſolet eſſe magnum à deprehenſione, vſque ad ſententiam. l. ratum. l. quod dicimus. ff. de ſolutio. l. promiſſor, de conſt. pecu. traditur ab omnibus in l. 3. ʃ. eum igitur. ff. de vi, & vi armata.

17 Quòd ſi cui longum eſſe videatur, expectare vſque ad ſententiam diffinitiuam: is primum conſideret, quòd nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa eſt. deinde repentinas mutationes eſſe difficillimas:

limas: nec eſſe adeò facile, ac ſuàue fateri, ſe fuiſſe hæreticum, vt pudor, vt infamia, vt publicatio bonorum, denique vt ipſe dæmon non vehementer obſiſtat. Poſtremò, quòd reipublicæ intereſt, vt hæretici, ſpe veniæ participes indicent, quod facere non ſolent ij, qui ſciunt ſibi nõ eſſe ignoſcendum. c. ſi ſermo. de pœnit. diſt. 2. c. ancillam. 32. q. 2.

Hæreticus ergo ante ſententiam errores ſuos plenè confeſſus, recipi quidem poterit, ſed iudices eum excipere non tenentur, niſi confeſſio ſit vera, & iuſta, & non ficta ſiue ſimulata: cuius circunſtantiæ, quia in facto conſiſtunt, & innumerabiles ſunt; neceſſariò relinquuntur arbitrio iudicum recto. c. vt officiũ. §.1. de hæreti. li. 6. mora. ff. de vſur. l. 2. §. 1. ff. ad Turpilia. 18

Cùm autẽ integra confeſſio fuerit, & aliunde iudicibus non planè 19

conſtiterit; eam ſimulatam eſſe, pœnitentem omnimodo recipere debent, reiectis ſuſpicionibus, & præſumptionibus: quibus moueri non poſſunt, vt quempiam in ignẽ mittant. nónne Nabuchodonoſor poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & Regnũ quod perdiderat, rurſus accepit, & pœnitentiam meruit fructuoſam? ſpiritus quidẽ vbi vult ſpirat, & plerunque vexatio dat intellectum. c. literas. de pręſump. c. Nabuchodonoſor. 23. q. 4.

De dogmatiſtis. TIT. LIX.

1 EXISTIT hoc loco quęſtio ſubdifficilis: Vtrum ſeductor qui docet hæreſes, quem vulgò dogmatizatorem vocant, recipiendus ſit pœnitere volens, ſicut cæteri hæretici. & prima quidẽ fronte videtur, eũ pœnitentẽ recipiendũ eſſe: quia cõſtitutio illa Lucij tertij, exęquare videtur

tur eos,qui docẽt,& illos,qui credũt hæreſes. Verùm ea clauſula de excõmunicatione dumtaxat loquitur:in quam æquè incidunt diſcipuli, atq; doctores. cap. ad abolendã. de hęret.

Sed vbi leges de recipiẽdis pœnitentibus tractant,nullam dogmatiſtarum mentionem faciunt, nec eadem regula metiendi ſunt ij, quorũ longè diſſimilis culpa eſt: grauior quidem eſt magiſtri,quàm diſcipuli culpa: deceptis enim, & perſuaſis parcendum eſt, nõ autem ſeductoribus, atq; doctoribus,quibus neq; lex diuina olim ignoſcebat. l. hi, qui. C. de apoſta. Deut. 13. 2

Ad hæc, etſi nonnunquam delinquentibus venia concedatur, ducibus tamen eorum non ſolet ignoſci: quia hi longè magis delinquunt. l. quoniam multa facinora. C. ad leg. Iuli. de vi publi. & Numeri 25. 3

4 Addo beatũ Hieronymum, qui aduerſus Luciferianos inquit: In Alexandrina Synodo conſtitutum eſt, vt exceptis auctoribus hæreſeos, quos error excuſare nõ poterat, pœnitentes eccleſiæ ſociarentur, non quòd epiſcopi poſſint eſſe, qui hæretici fuerant, ſed quòd conſtaret, eos qui reciperentur, hæreticos non fuiſſe.

5 Accedit eodem, quòd pontificię leges, quæ hæreticos pœnitentes recipiunt, non ſunt ad eos trahendæ, qui non vna morte ſunt digni, ſed pluribus. Satis enim ſuperq́ue eſt, vt vni crimini morte digniſſimo ignoſcatur: nec eſt iuſtum, vt multa grauiſſima crimina ſint impunita: quilibet autẽ hæreticus in pœnam mortis incurrit: qui verò doctor eſt hæreſum, hoc ipſo altera dignus eſt morte. Nam vt lex ait: Vltimo ſupplicio coercendi ſunt, qui fidem alte-

alterius expugnant peruerſa doctrina.l.quicunque.C.de hæreti.l.pen. de apoſta. l.vlti. de Iudæis. l.1.§. perſuadere. & §.ſed vtrum.ff.de ſeruo corrupto.

Accedit etiam quòd lex, quæ de 6
crimine ſimpliciter loquitur, nō eſt ſeruanda, cùm alia concurrunt crimina: quia vt Vlpianus inquit: Nunquam plurima crimina cōcurrentia faciunt, vt vllius impunitas detur: nec enim delictùm ob aliud delictum minuit pœnam, ſed intereſt publicè, nullum impunitum relinqui.l.nunquam plura.ff.de priua.delict. l.ſi adulterium cum inceſtu.l.vim paſſam. §. præſcriptione. ff.de adulteriis.

Et quemadmodū qui plures oc- 7
cidit homines, nulla dignus eſt venia; ita & hæreticus ille, qui multis nocuit, excipiendus non eſt eccleſię gremio. Nam & hæreticus tot oc-

cidit homines, quot induxit. homicida eſt,& doloſus quotidie animarum ſanguinem fundens, vt D. Hieronymus inquit in Pſalm. quintum. l.3. C. de epiſcopa. audien.

8 Adde quod, magiſter errorum, veneno peſtiferi dogmatis non corpus occidit, ſed animam; non breui morte, ſed ſempiterna: quamobrem pœna maiore dignus eſt, quàm homicida. Et ſicuti ait beatus Hieronymus in Amos cap. 9. Ideo magiſtri hæreticorum percutiuntur, vt ſalui fiant diſcipuli. Brunus lib. 5. de ſeditioſis. cap. 6.

9 Qui ſimplex hæreticus eſt, ſibi ipſi dumtaxat nocet: qui verò doctor eſt hæreſum, non modò aliis pernicioſus eſt, ſed etiam vniuerſæ reipublicæ: ergo puniendus eſt, nō ſolùm vt hæreticus, ſed vt hoſtis quoq; reipublicæ. ſic olim Auguſto Cæſari cōſuluit Mæcenas, vt eos qui peregri-

peregrinum aliquid, aut nouum in religione tentarent, puniret, atque ſupprimeret, non ſolùm religionis cauſa, ſed ipſius etiam reipublicę, vt à Dione proditum eſt lib. 42.

Hæreticus quoq; qui Regem, aut 10
eius coniugem, aut filios corrūpere tentauerit peruerſa doctrina, curiæ ſeculari relinquendus eſt: quia cum hæreſi crimē læſæ maieſtatis cōiunxit, hoſtili animo aduerſus Chriſtianam rempublicam animatus. Iure igitur Quadus Manichæos ſuæ ditionis omnes occidit, eorūq; epiſcopum, & libros cōbuſſit, quòd vnum ex filiis ſuis in execrandā illam hæreſim pellexiſſent: auctor Ioannes Zonaras in imperio Iuſtini Thracis.

Ex quibus omnibus perſpici po- 11
teſt, non eſſe gremio eccleſiæ excipiendū dogmatiſtā, qui multis nocuit. Si verò neminem infecit, fortaſſe recipiēdus erit, maiora tamen

in eo pœnitentiæ ſigna neceſſaria ſunt, ne conuerſio eius ficta eſſe videatur: nec enim facilè credendus eſt, ab extrema impietate repentè diſceſſiſſe, cũ peruerſi difficilè corrigantur, & mali homines, & ſeductores proficiant in peius, errantes, & in errorem mittẽtes. 2. Timo. 3. Eccleſiaſtes cap. 1.

12 Eos tamen ſemper excipio, qui Spiritu ſancto inſpirante ad eccleſię catholicæ ſinum ſponte redeuntes, abiurant errores, præſertim cùm aduerſus hæreſes prædicant, & ſcribunt; quod vtinam omnes hæreſiarchæ facerent: iſti enim non pœna, ſed præmio digni ſunt.

De relapſis. TIT. LX.

1 Propria ſignificatione vocabuli, relapſus eſt, qui iterum labitur: ſed pontificij iuris interpretatione is dumtaxat cenſetur eſſe relapſus, qui poſt

poſt pœnitentiam publicam prioris lapſus, iterum in eaſdem hæreſes lapſus eſt. c. accuſatus, cap. ſuper eo, de hæreti. libro 6. Ancha. in d. cap. accuſatus, nume. 2. Petr. Palud. in lib. 4. ſenten. diſtinct. 13. quæſt. 3. cõcluſio quinta. Guido in ſumma de hæreſibus, cap. 10. Alfonſus libro 2. de iuſta hære. punit. cap. 2.

Is quoque dicitur eſſe relapſus, 2
qui propter vehementem ſuſpicionem abiurauit errores, & poſtea in eoſdem incidit. Item qui ſimpliciter, aut generaliter abiurauit, & pòſt in aliam hæreſim recidit. Et is quoque relapſus eſſe cenſetur, qui hæreſibus abiuratis hæreticos alloquitur, viſitat, ſequitur, aut eis munera mittit, aut fauet, aut cõmunicat, ita vt excuſari nõ queat, quin ex approbati erroris cõſequentia, ea feciſſe intelligatur. c. accuſat⁹. in prin. & §. 1. & §. ille quoque, de hęre. lib. 6.

3 Quid ſi propter leuem ſuſpicionem abiurauit, & poſtea communicationem cum hæreticis habet? Reſpondeo, illũ non eſſe relapſum: quia de nullo eius lapſu planè conſtat, & ſolis ſuſpicionibus non debet iudicari relapſus, dicto §. ille quoque. & ibi Domini. c. literas. de præſump. Alfonſus lib. 2. de iuſta hæreti. puni. c. 2.

4 Secus eſt ſi abiuraſſet propter vehementem ſuſpicionẽ, quia dæmones inuocabat, aut quippiam ſimile perpetrabat: Nam ſi poſtea in idem flagitium inciderit, puniri poteſt, vt verè relapſus. Lapus. Archi. Domini. & Francus in c. accuſatus, §. ſane, de hæret. lib. 6.

5 Relapſus autem ſine ſpe veniæ relinquitur iudici ſeculari: quia ſemel dumtaxat ignoſcitur pœnitenti: nõ autem ei, qui ſignum euidens dedit inconſtantiæ ſuæ. fides verò magnam

magnam conſtantiam requirit. ſed & Plato lib. 10. de Legibus conſtituit, vt impij pro priori lapſu ad carcerem damnentur: ſi verò rurſus impietatis crimine condemnati ſint, vt morte ſine venia plectantur. c. ad abolendam. de hæret. c. ſuper eo, eodem tit. lib. 6. l. 3. C. de epiſc. audien. Tho.22.q.11. art.vlt.

Sunt qui putant nõ eſſe punien- 6
dum tanquam relapſum eum, qui nõ accuſatus ſponte fatetur ſe fuiſſe relapſum. quorum opinio æquiſſima eſt: ſed non planè diſpicio, quo iure inquiſitores pœnam legũ ei cõdonare queant, niſi fortè ſummum pontificem prius conſulant. Alberti. de aſſertio. catho. q. 25. nu. 25. Alfon. lib. 2. de iuſta hæreti. puni. c. 2. l. 1. ff. ad Turpil. Lactantius lib. de ira Dei. cap. 19.

De im-

TIT. LXI.

1 IMPOENITENS ille eſt, qui pœnitentiam agere non vult: nihil verò ita repugnat Deo, quàm cor impœnitens, ſolũ crimen eſt, quod veniam conſequi non poteſt, vt ait Hieronymus epiſtola 48. In propoſito autem impœnitẽtes vocare ſolemus hæreticos, qui errores ſuos confiteri non volunt, ſed negant, ſe eos commiſiſſe, vnde pertinaces negatiuos, eos vulgus appellat.

2 Huiuſmodi autem impœnitentes iudicibus ſecularibus relinquũtur, quamuis millies proteſtentur ſe fuiſſe, & eſſe catholicos, & in fide orthodoxa ſe viuere, ac mori velle. Rota in antiquis deciſ. 875. & in nouis tit. de hæret. & Hoſtien. in ſumma eodem tit. col. 2. & idem Calder. conſi. 2. Anania in c. excõmunicamus. §. adiicimus, de hæret.

Alberti.

Alberti. de aſſertio. catho. quæſt.8. Boer.deciſ.343.

Solent aliqui accipere ſcandalũ, cùm vident aliquem eiuſmodi in ignem mitti, ſed mirari deſinent, ſi ſciant, veniam non dari, niſi confitenti, pœnitenti, & qui ſatisfacit eccleſiæ: cui quidem planè conſtat, iſtum hæreticum eſſe: non ſecus, atque multi facinoroſi puniuntur, quamuis negent ſe crimina obiecta admiſiſſe. qui ergo pœnitentiam agere, atque hæreſes confiteri non vult, iure, ac meritò curiæ ſeculari relinquitur. c. ad abolendam, de hæreti. 3

Eadem dicimus de hęreticis illis, quorum errores probati ſunt, & eos omnes confiteri non volunt, quia falſa pœnitentia eſt, cum ſpretis pluribus de vno, aut altero crimine agitur pœnitentia, nec enim licet dimidiam ſperare veniam. c. quem pœnit. 4

pœnit. diſtin. 1. c. vlt. diſtin. 5. cap. ſunt plures, de pœnit. diſt. 3. c. omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſ.

5 Sunt & alij, qui non confitentur omne tempus errorum. nec participes hæreſum prodere volunt: quos omnes diminutos impœnitẽtes appellãt. ſed nõ facile damnandi ſunt propter tales defectus, niſi liquidò cõſtet, ſcienter ab eis occultari: quia qui ſe hæreticũ fuiſſe fatetur, iam quod pręcipuè facere debebat, fecit: nec eſt veriſimile, vt ea tegat, quæ tanti momẽti non ſunt. Adde quod tormẽtis adigi poteſt, vt alios hæreticos manifeſtet, nec propter ſuſpiciones condemnari debet: præſertim cùm obliuiſci talium rerum ſępiſſimè poſſit.

6 Qui verò pœnitentiæ impoſitæ non ſatisfaciunt, puniri poſſunt, vt impœnitẽtes, quia non agũt pœnitentiam, vt periuri, quia iurarunt ſe obtem-

obtemperaturos mandatis eccleſię: vt fictè conuerſi, quia non permanent in eccleſiæ obedientia, & vera pœnitentia. ca. nō ſufficit.cum ſeq. de pœnit.diſtin.1. Calderi. conſil.2. tit. de hæreti. Decius conſil.137.

Fallūtur tamē Decius & Probus, 7
negantes poſſe inquiſitores cognoſcere, an pœnitentes impoſitam ſibi pœnitentiam peragant: id enim ad eorū officiū omnino pertinet, cap. vt cōmiſſi.§.necnon, de hæret.lib.6. c.literas, de præſump. Decius cōſil. 137. Probus ad Ioan.monachum in c. præſidentes, de hæreti. lib.6.

Errāt quoq; multi, dicentes pœni- 8
tentem illū eſſe relapſum, qui nō facit ea, quę illi pręcepta ſunt, vel facit illi prohibita, quādo pœnitētiæ actus cōtrarius eſt ſuæ culpæ. Verbi gratia, ſi præceptum fuit, vt abiuret, vel aduerſus errores ſuos prædicet: aut fuit ei prohibitum, ne cum hæreti-

hæreticis cõmunicet, vel quippiam ſimile. Nam in prioribus exemplis impœnitens eſt non relapſus: in poſteriore, tunc demum relapſus erit, cùm errores prius abiurauerat, quẽadmodum iam ſuprà retuli.

9 Illud autem verũ eſt, quod iidem aiunt, pœnitentem illum, qui non peragit pœnitentiam impoſitã, quæ ad purgationem culpæ tendit: vtputa, non ieiunat, non orat, nõ facit ea opera pia, quę ei pręcepta fuere, puniri poſſe pœnis arbitrariis. Ioan. Imola. & alij in clem. vlti. de hæreti. Federi. conſi. 156. Squillacen. de fide catholica cap. 19. Arelata. de hæreti. notabi. 30.

10 Cùm verò quiſpiam in eo ſtatu eſt, vt relinqui debeat curiæ ſeculari: vt conuertatur & viuat, vel certè ne morte pereat ſempiterna, per viros doctos & pios de ſalute animæ ſemel & iterum admonẽdus eſt, id

enim

enim charitas ſuadet, atque in ſacro Inquiſitorum foro vſitatum eſt. c. conuenientibus. 1. quæſt. 7. Calderi. conſil. 2. de hæreti. Lupus allegat. de hæreſi. ſ. 4.

De mortuis. TIT. LXII.

IN omnibus ferè criminibus, reis 1
vita functis crimen cum pœna extinguitur: quia preuenti ſunt à ſummo iudice Deo, & vocati ad maius tribunal; & quamuis in reatu quiſpiam decedat, integri ſtatus decedit: extinguitur enim crimen mortalitate, vt ait Vlpianus, & morte reus crimine liberatur. l. 1. cum ſeq. C. ſi reus vel accuſator. l. is qui in reatu. ff. ad leg. Iul. maieſt. c. ex epiſtola. c. quorundam. 23. diſtin.

Sed neque cadauera in aliis cri- 2
minibus puniri ſolent: in crimine autem hæreſis propter eius atrocitatem & reipublicæ documentum,

non ſolùm ad viuentem hominem, ſed etiam ad cadauer, ad ſepulchrũ, ad oſſa, & cineres, ad memoriam, & famam, pœna peruenit. Nam ſi iure quàm optimo, ab vltimo parricidio exigitur pœna trans hominẽ; quantò rectius ab hæretico pœna grauior exigenda eſt: qui ſuam primùm animam, deinde familiæ ſuæ, poſtremò totius populi, morte ſempiterna conatur occidere?

3 Inquiritur ergo in hæreticos etiã poſt mortem: quòd ſi de illorum hæreſi planè conſtiterit, condemnantur ac ſi viui forent, & eorum bona publicantur, & excommunicantur, ne preces pro eis, aut oblationes fiant. c. accuſatus. ℐ. in eo, de hæreti. lib. 6. c. à nobis. 2. de ſenten. excommu. c. ſanè. 24. q. 2.

4 Neque corpora eorum cum cadaueribus catholicorum ſunt ſepelienda. quinimo ſi quis ſciens cõtrà fecerit,

fecerit, in ſententiam excommunicationis incurrit, & ab ea non antè abſoluēdus eſt, quàm impia illa cadauera propriis manibus publicè effodiat, & extrahat, & oſſa eruat, atque proiiciat: ſi mòdò à fidelium corporibus ſeparari queant. cap.ſacris, de ſepultu. 4.Reg.23.

Damnantur quoque memoria, 5
& fama talium hæreticorum, ſed plenior probatio neceſſaria eſt cōtra mortuum, qui ſe defendere nequit. c.accuſatus.§.in eo.de hæreti. lib.6. cōcil. Conſtantien.ſeſſ.8. Bal. in cap. 1. §. ſi quis, ſi de inueſtitura inter domi. & vaſal.lib.feudo.

Quòd ſi ſuſpectus de hęreſi mor- 6
tuus fuerit lite pendente, iudices cauſam peragere debent, vt eum vel condemnent, vel abſoluant: non tamen imponere poſſunt hæredibus pœnam pecuniariam propter ſolas ſuſpiciones. l.1. C. ex deli. de-

fun. & ibi Bal.c.accuſatus. §.porrò. de hæreti. lib. 6. Aegid. Bellamera deciſ.677.& 680. Anania in c.ſi quis epiſcopus de hæreti.

7 Non tantùm poſt quinquenniū, ſed etiam poſt quadraginta annos inquiri poteſt in hæreticum mortuum: quamuis lex ciuilis aliud in cauſa apoſtatæ conſtituerit: ſed bona non auferuntur ab hæredibus, qui bona fide per quadraginta annos ea poſſederunt. c. vlti. de præſcrip. lib.6.l.2. C. de apoſta. Felinus in c. cum nobis, de præſcript. Brunus lib.5.de hæreti.c.17.

8 Filij, & ſucceſſores, & alij omnes, quorum interſit, vocari debent ad mortui memoriam defendendā, quinetiam audiendus eſt, quicunque defendere mortuum velit, dummodo probabilem aliquam cauſam afferat, ca. filij.de hæreti.lib.6. l. nā ita diuus. ff.de adopt. Aegidius

deciſ.

deciſ. 678. cum ſeq. Alberti. in rubri.c. de hæreti.

Præſentes autẽ, & qui certi ſint, 9
citari debent ad mortui defenſionẽ: abſentes verò & incerti, quorum intereſſe poterit, vocandi ſunt generaliter edictis, & præconis voce: quòd ſi nemo compareat, iudices ipſi defenſorẽ idoneum eligere debent. c.vlti.de electio.lib.6.l. ſi non defendantur. ff.de pœnis. Aegidius deciſ. 679.

Qui propter hæreſim in carcere 10
detruſi mortem ſibi conſciuerint, damnandi ſunt, vt impœnitentes, & plenè conuicti: quãuis antè confeſſi fuerint, & ſe pœnitere velle affirmauerint. Nam Iudæ neque confeſſio neq; pœnitentia profuit, quia laqueo ſe ſuſpendit. c. Iudas. c. nihil, de pœnit. diſt. 3. Bar. & alij in l. vlti. C. de iure fiſci lib. 10. & in l. vltim. ff. de bon. eorum. Gonſal. de hæret.

q. 22. Couar. lib. 2. reſolut. cap. 1.
11 Ordinem verò inquirendi contra hęreticum defunctum, inuenies in cōcilio Conſtantienſi, ſeſſione 8. vbi damnatus fuit Ioánes VViclefſus, & eius memoria: & ibi prolixè relatum eſt, quomodo id factum fuerit.

De filiis hæreticorum.
TIT. LXIII.

1 AD filios etiam hæreticorũ aliqua pœna pertranſit, quia eædem eſſe perſonæ pene intelliguntur, & quia nulla magis acerba pœna eſt, & quæ magis homines à facinoribus deterreat, quàm ſcire, filios ſuos ob ſua ipſius malè acta affligendos, & paupertate afficiendos, atque notandos infamia, ſcripſit quidé eleganter Cicero ad Brutum: Nec verò me fugit, quàm ſit acerbum parentum ſcelera filiorum pœnis lui, ſed hoc

hoc præclarè legibus comparatum eſt, vt charitas liberorum amiciores parẽtes reipublicæ redderet. Omitto ſciens in eandem ſententiam plurima, quæ alibi fuſiùs retuli. l. vlti. C. de impube. & aliis ſubſti. l. iſti quidem. ff. quod met. cauſa.

Iure igitur, ac meritò hæreticorũ 2 filij parentum bonis priuantur, & infamia notantur. Nam quemadmodum filij hominum bene meritorum, parentum meritis nobilitantur, quamuis ipſi nihil fecerint, propter quod nobiles eſſent, vt ciuis meus Seneca libro 4. de beneficiis eleganter differit: ſic ecõtrario, malè meritorum filij parentũ ſcelere obſcurantur, & infamia iuſtè notantur. bona ſiquidem corporis, & fortunæ à parẽtibus in liberos naturaliter tranſeunt, & ſimiliter mala, vt Plutarchus tradit lib. de ſera numinis vindicta. c. vergentis. de hæret.

3 Ad hæc, filij hæreticorum vſque ad ſecundam generationem ab eccleſiaſticis beneficiis, & publicis officiis repelluntur: quòd ſi contrà fecerint, legibus regiis publicatione bonorum puniuntur. c. 2. §. hæretici. de hæreti. lib. 6.

4 Cęterùm benigna interpretatione placuit, vt illi dumtaxat hæreticorum filij à beneficiis, & officiis arceantur, quorum parentes eccleſiæ vnitati non fuerint reſtituti: & vt ſecundus ille gradus lineam tantùm paternam comprehendat: per maternam verò lineam, vt ad primum gradum, nec vltrà pœna porrigatur. c. ſtatutum. 2. de hær. lib. 6.

5 Filios autẽ hoc loco accipimus, non tantùm ex iuſtis nuptiis procreatos, ſed eos etiam, qui ex inceſto, adulterino nefario, aut quocũque alio illicito cõplexu nati ſunt. nec enim cõditio eorum melior eſſe

debet,

debet, qui maiori odio digni ſunt. l.parentes.ff.de in ius vocan. glo. & omnes in dicto capite ſtatutū. Couar.lib.2.reſolu. cap.8. Gigas lib.3. de crimine læſæ maieſtatis.q.7.

Sunt qui putant filios, & nepo- 6
tes relapſorum, qui antequam curiæ ſeculari relicti eſſent, ſacramenta pœnitentiæ ac euchariſtiæ receperunt, ſupraſcriptis pœnis non eſſe obnoxios; quia nō videntur parentes eorum hæretici deceſſiſſe, ſed pœnitentes, & eccleſię reconciliati: nam ſacramenta non conceduntur iis, qui extra eccleſiam exiſtunt. & hanc opinionem vtpote clementiorem iam olim ſecutus ſum. c. ſuper eo. c. ſtatutum. 2. de hæreti. lib. 6. & ibi Domini. Lupus ſenior tractatu de hæreſi.c.18.

Sed nunc attentius conſideranti 7
contraria ſententia verior mihi eſſe videtur. Nam quòd relapſis conce-

dantur ſacramenta pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ, id non efficit, vt reincorporati ſint eccleſiæ vnitati, nec vt cõſtet, eos fuiſſe emendatos, & ad mandatum eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe: quę omnia exigit conſtitutio Bonifacij octaui. Quod autem ea ſacraméta illis permittantur, propterea fit, ne in foro conſcientiæ claudatur eccleſiæ gremium cuiquam redeunti. Atqui forum exterius non recipit illos, ſed curiæ ſeculari relinquit, vt hæreticos relapſos puniendos, igitur eorũ filij nõ eximuntur à pœnis antè relatis. Et vt inquit Cicero Philippica 12. Poſteriores cogitationes ſolent eſſe ſapientiores. c. ſuper eo. c. ſtatutum. 2. vbi hoc aiunt. Io. And. & Philippus Francus. c. de his, de accuſa. & quæ ibi traduntur.

8 Nepotes hæreticorum retinent ius eligendi, quia non ſunt nominatim

natim electionis iure priuati: & pater hæreticus nõ obeſt filio catholico in ſucceſſione aui paterni. l.cùm pater. ʃ.hæreditatem. ff.de legat. 2. Card. Abbas, & Ioan. Imola. in c. excommunicamus.ʃ.credentes, de hæreti. Domini. & Fran. in c. 2. ʃ. hæretici,eodem tit. lib.6. omnes in l.Gallus. ʃ. & quid ſi tantum. ff. de libe. & poſthu. Segura in l. cohæredi. §.cùm filiæ. ff.de vulga.& pupil. nu.73.

Filij & nepotes hęreticorum priuandi ſunt beneficiis eccleſiaſticis, quæ conſecuti fuerint poſt parentũ hæreſim: ſed non ſunt eis iure ipſo priuati: quia id nuſquam ſancitum eſt: nec illis beneficiis priuãdi ſunt, quæ poſſidebant antequam parentes eorum in hæreſim laberentur: quia nec id iure cauetur. c.ſatis peruerſum, & ibi gl. & cæteri. 56. diſt. Anto. Abbas, Imola. Anania, & 9

Feli.

Feli. in c. vergentis, de hæret. Roma. ſingul. 686. Gonſal. de hæreti. praui. quæſt. 23. Couar. lib. 2. reſolut.cap.8.

10 Subdifficilis quæſtio eſt, an pœnis antè relatis afficiantur filij nati priuſquam parentes hęretici eſſent? hanc ego in catholicis inſtitutionibus diffusè explicaui. Nunc verò ſummatim eam attingam. Plurimi quidem aiunt, multique negant: & horum ſentẽtia probabilior eſſe videtur, quia multis iuribus filij nati ante crimen patris eximuntur à pœnis: & grauiſſimi auctores plurimũ referre aiunt, vtrum filius natus ſit ante crimen patris, vel poſtea; quæ aceruatim proferam breuitatis cauſa. l. 2. C. dę libert. & eo. lib.c. non imputatur.c.iam itaque.1.q.4. Auguſtinus epiſtola 75. & ſuper Deut. q.42. Concil.13. Toleta. c.1. Alfon. Caſtrus li.2.iuſta.hęr.puni. cap.vlt.

Nec

Nec obſtat Bonifacij cõſtitutio, 11
quæ quidem tota eſt in fauorem filiorum, & in eorum odium retorqueri non debet. quod verò ait, hoc ſanè de filiis & nepotibus hæreticorum, qui tales eſſe, vel tales deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe: non ideò vult, ſatis eſſe ad pœnas filiorum, quòd parẽtes decedant hæretici: nec enim de hoc vlla quæſtio erat; ſed ea verba ſcripta ſunt ad cõſtituendam differentiam inter illos, & alios, qui emendati ſunt, & eccleſiæ incorporati, & verba illa indefinita reſtringenda ſunt, & interpretanda per alia iura ſuprà relata. c. ſtatutum. 2. de hæreti. lib. 6.

Filij & hæredes audiendi ſunt 12
probare volẽtes innocentiam mortui, tunc demum, cùm pertinax nõ deceſſit, vel non plenè confeſſus. Nam vtroque caſu probationes ſuperuacaneæ forẽt, quia pertinacem defen-

defendere non licet: nec eſt confeſſi cauſa tuenda rei, vt rectè quidam cecinit. c. filij, de hæreti. lib. 6. l. vlti. ∬. fi. ff. de bo. eorum. l. ad probationem dominij. C. de proba.

13 Pater filium hæreticum exhæredare poteſt, & contrà filius patrem; ea enim eſt iuſtiſſima cauſa exhęredationis: præſertim, cùm hæreticis bona non ſint relinquenda, ſed ea quę poſſidét, ab eis auferenda ſint. atque de hoc extat conſtitutio nouella ab Harmenopulo relata in promptuario iuris lib. 5. tit. 9. c. ſi quis epiſcopus, cum ſeq. de hæreti.

De ſententiis. TIT. LXIIII.

1 INQVISITIONE criminum, ac totius cauſæ diligenti examinatione peracta, Inquiſitores cũ epiſcopo, vel eius vicario, & cum peritorum conſilio de ſententia deliberabunt, vt reus vel damnetur, vel abſol-

abſoluatur. ca. vlti. de hæreti. lib. 6. Clem. §. 1. eodem tit.

Diuus Chryſoſtomus in Geneſim 2
homilia 42. Docet, inquit, omne hominum genus Deus, quòd licet magna valde, & confeſſa ſint peccata, non antea tamen pronuntiandam ſententiam, quàm manifeſtæ demonſtrationes fiant. dicit enim, cùm deſcenderim autem, videbo, vtrum iuxta clamorem ſuum, qui ad me venit, perficiant, vel non, vt ſciam: per quæ craſſa verba docere nos vult, quòd opus ſit magna diligentia: & non auditu ſolo peccatores condemnandi ſunt, neque ſententiæ ferendæ, niſi comprobatio præcedat.

Iob capite 29. cauſam quam ne- 3
ſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam; qua in re, inquit Gregorius, notandũ video, ne ad proferendam ſententiam vnquam præcipites eſſe debea-

debeamus, ne temerè indiſcuſſa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne paſſim dicta ſine probatione credamus. hæc ille lib. 19. capite 14.

4 Sententia condemnatoria ita formabitur, vt in ea primùm dogmata ab ipſo reo aſſerta declarētur: deinde ſummariè acta proceſſus referētur, ad hæc induratus eius animus, & pertinacia, vel imperfecta, & falſa pœnitentia prodetur. Poſtremò ſentētia ipſa adiungetur: quę reum declaret hæreticum, & eius bona publicata: & eum demum iudici ſeculari relinquat. Concil. Conſtantien. ſeſſio. 15. Brunus lib. 4. de hæreti. c. 10.

5 Multi putant in ſententia reconciliationis non eſſe dicendum, pœnitentes illos fuiſſe hæreticos: ſed hac formula ferendam eſſe ſententiam; quia te inuenimus per tuam confeſ-

confeſſionem,& legitimam probationem hæreticum fuiſſe: nunc autem ſaniori vſus conſilio, vis (vt aſſeris) ad vnitatem eccleſię puro corde, & fide non ficta redire: ideo te in primis abiurata omni hæretica prauitate,iuxta formam eccleſiæ ab excommunicationis vinculis, quibus tenebaris aſtrictus,abſoluimus: ſi tamen ad eandem vnitatē ex corde redieris, & iniuncta tibi mandata ſeruaueris. Archid. in c. vt commiſſi, de hæreti. lib.6. & ibi Domini. in ſ. necnon. Gonſal. de hæret. praui.quæſt.20. & alij alibi.

Sed cùm eccleſiæ conſtet illum 5
fuiſſe hæreticum, nihil prohibet, quin talis fuiſſe declaretur: ſed quia dicit, ſe velle puro corde, & fide nō ficta ad eccleſiæ ſinum redire, iudices abſoluũt eum ab excommunicatione, atque ad vnitatem eccleſiæ reſtituunt: ſi ita eſt, vt aſſerit, quod

abſque vlla ſimulatione cõuertitur. & ita inſtructione quadam continetur. & Ioan. And. id ipſum ſcripſerat in d.c. vt commiſſi.

7 Formula ſententiæ contra relapſum poterit ex illa ſumi, quæ cõtra Hieronymum de Praga lata fuit in concilio Conſtantienſi, hoc verborum tenore: Sancta ſynodus eundẽ Hieronymũ, palmitem putridum in vite non manentem, foras mittendum decernit, ipſumque hęreticũ, & in hæreſim relapſum, excõmunicatum, anathematum pronũtiat, declarat, damnat, & cętera, quæ continentur ſeſſione 21.

8 Sententiæ autẽ legendæ ſunt publicè coram clero & populo, & coram iudice ſeculari; & ſolet haberi prius ſermo de fide catholica, ab aliquo egregio cõcionatore, & aliquot ante diebus actus ille à præcone diuulgatur. Domini. & Fran. in c. vt com-

commiſſi, de hæreti. lib. 6. Brunus lib. 4. de hæreti. c. 10.

De appellationibus. TIT. LXV.

1 HAERETICI planè cõuicti appellare nõ poſſunt: quia tũc à pœna legis prouocarét, nec de facto iudicũ, ſed de legis iniquitate conquererẽtur. c. vt inquiſitionis, de hęret. li. 6. l. 1. C. quorũ appella. non recipi. l. ſi qua pœna. ff. de verbo. ſignifi.

2 Cæterũ ab interfationibus, ſiue interlocutoriis ſententiis appellare licet, cùm nondum cõſtat, reos hęreticos eſſe: vtputa, ſi ad ſubeunda tormenta, vel ad aliam pœnam arbitrio iudicum damnentur, prouocare quidé poterunt, quia tunc nõn de lege, ſed de arbitrio iudicum cõqueruntur. omnes in d. c. vt inquiſitionis. Henri. in c. ſi aduerſus. Anania in c. vergentis. Feli. in c. ad abolendam. de hæreti.

3 Appellandus autem eſt iudex ſuperior: in Hiſpania verò tribunal ſanctæ inquiſitionis, cui generalis inquiſitor præeſt, iudex eſt appellationum, & cauſas huiuſmodi recognoſcit, atq; reformat.c.vt cõmiſſi. ∬. inquiſitores.c. per hoc, de hæret. lib.6.c.ſi delegatus, ∬. ad eundẽ, de offi.delega. lib.6.

4 Sed appellationibus friuolis, vanis, & iniuſtis, non eſt indulgendum. Nam vt beatus Bernardus ait, qui non grauatus appellat, liquet, quod aut grauare intendit, aut tempus redimere; non eſt autem ſuffugium, appellatio, ſed refugium. hæc ille lib. 3. de conſideratione ad Eugenium. ca. cum appellationibus friuolis, de appellat.lib.6.

5 Non tantùm appellationes friuolæ, id eſt, quæ cauſam afferunt, nec iuſtam, nec idoneam, recipiendæ non ſunt: ſed illæ quoque ſunt reii-

reiiciendæ, quę fruſtratoriæ ſunt, & morandi cauſa interponuntur. Itaque rectè Conſtãtinus edixit, moratorias, & fruſtratorias prouocationes, quę nõ tam appellationes ſunt, quàm ludificationes, non eſſe admittendas. l.tutor.ff.de vſuris.l.1.& l. 4. quorum appella. non recipian. lib.11. C.Theodoſ. c.quicunque. 2. quæſt. 6.

Sed vtrum hæredibus hæreticorum mortuorum cauſas defendentibus appellare liceat? & cùm hęretici ipſi confeſſi, aut planè conuicti fuerint, ſine vlla dubitatione reſpõdeo, hęredum appellationem recipi non debere: quia nec prouocatio ipſorum hęreticorũ audienda eſſet. Nemo autem plus iuris in alium trãsferre poteſt, quàm ipſe habet, & qui in ius ſuccedit alterius, eodem iure vti debet, quemadmodũ regulis iuris traditur. ca. filij. de hęr. li. 6. 6

7 Cæterùm ſi reus abſens damnatus fuit, aut hæredes probabilem cauſam prouocandi habuerint; æquum eſt vt eorum appellationes in dubio etiam recipiantur. l. eius qui delatorem. ff. de iure fiſci. omnes in lege 2. C. qui teſta. facere poſſunt. & in c. vt debitus. de appellat. Socinus ſenior conſi. 300. lib. 2.

De iudicibus ſecularibus.
TIT. LXVI.

1 HAERESIS cognitio ad eccleſiaſticũ iudicem vſq; adeò pertinet, vt in quacunq; parte iudicij ſecularis eá quæſtio inciderit, protinus ad eccleſiaſticum remittenda ſit. quod & iure cautum, & omnium conſenſu receptum eſt. c. vt inquiſitionis. §. prohibemus, de hæreti. lib. 6. omnes in c. cùm ſit generale, de foro cõpet. Maſuerus in practica forenſi. tit. de remiſſionibus, prope finem.

Hermas

Hermas lib.7.de inſtau.religio.cap. 16. Hoſius lib. 2. contra Prolegomena Brentij.

2 Sed quamuis iudices ſeculares de cauſa hęreſis cognoſcere nequeant, condemnare tamen, & punire tenentur eos, quos inquiſitores declarauerint hæreticos pertinaces, relapſos, aut impœnitentes eſſe: eorum enim officium in huiuſmodi cauſis non in cognoſcendo, ſed in exequendo conſiſtit. ca. vt inquiſitionis, de hæreti. lib. 6. c. principes. 23. q.5. Brunus lib. 4. de hæreti.c.14.

3 Tametſi autem non deſint, qui putent iudicem ſecularem nō prius teneri ad exequendam ſententiam, quàm ei de iuſtitia proceſſus cauſa cognita fides facta ſit, eorum tamen opinio contra legem pontificiam eſt, & communi conſenſu peritorum exploſa, & vſu etiam eiecta eſt:

quia (vt antè dixi) iudex ſecularis merus executor eſt. c. vt inquiſitionis. ſ. prohibemus, de hęreti. lib. 6. Iaſon. Decius, Purpur. & Oroſcius in l. magiſtratibus. ff. de iuriſdi. omni. iudi. Brunus lib. 4. de hęr. cap. 15. Alberti. de aſſertio. catho. q. 25. nume. 44.

4 Sunt qui dicunt iudicem ſecularem exequi non debere ſententiam inquiſitoris, cùm liquidò ei conſtaret, eſſe iniuſtam, & iniquam. Sed cùm acta inquiſitoris occulta, nec videre debeat, nec verò poſſit, quo pacto ei liquidò conſtabit, ſententiam eſſe iniuſtam? niſi fortè conſultor fuerit, quo ſolo caſu conſulere poſſet ſuperiorem. Gonſal. de hæreti. praui. q. 19. Alcia. in c. 1. de offi. ordina. nu. 14. & 110. Brunus lib. 4. de hæreti. c. 15.

5 Ac multò quidem minus cognoſcere poterit ſecularis iudex, an ſententia

tentia inquiſitoris ſit nulla, quia nullam huius rei cognitionem habet, neque defectus iuriſdictionis inuenire facile poterit in ſententia lata cum epiſcopo, aut eius vicario, & cum conſilio iuriſperitorum. c. vt inquiſitionis. §. prohibemus, de hęreti. lib.6.

De pœnis. TIT. LXVII.

VBI hæretici relicti fuerint iudici ſeculari, protinus ab eo damnandi ſunt ad ignem: ea enim pœna non ſolùm Hiſpaniarum atque Siciliæ, verùm etiam aliorum Regnorum legibus, & moribus iam olim ſancita, & vſitata eſt, vt multi iuriſperiti prodiderũt. in d. c. ad abolendam. Aret. & Alcia. in l. 1. C. de ſum.trini. Bertran. conſi. 212. lib.2. Brunus lib.5. de hęreti. c.3. Coraſius lib.3. Miſcella. c.8. 1

Eſt verò antiquiſſimum, vt hæ- 2

retici comburantur. Baſilius quidam Romæ combuſtus fuit, vt B. Gregorius memorat li.1.dialogo. c. 4. Anatolium hæreticum viuũ igni combuſſerunt, auctor Nicephorus in eccleſiaſtica hiſtoria lib.18.c.4.& alius Baſilius hæreticus crematus fuit, auctore Zonara in imperio Alexij Comneni. & propter impiam atque ſceleſtam diſciplinam templarij concremati fuere, vt Petrus Crinitus, aliique retulerunt.

3 Ad pœnas quoque hæreticorum pertinet, vt nec eorum contractus, nec teſtamenta robur habeant, nec ex teſtamento quippiam accipere queant. l. Manichæos. l. Arriani. C. de hæret. c. ſi quis epiſcopus. c. in eos.eo.tit.

4 Item hæretici ab omnibus iudiciorum actis, quin etiam ab omni communicatione Chriſtianorũ repelluntur. c. alieni. c. non poteſt. 2. q.7.

q.7.l.quoniam. C.de hæreti. c. vlti. eodem tit.lib.6.

Præterea hæretici perpetua no- 5
tantur infamia, vtpote Deo infideles. c. infames. 6. quæſt. 1. Authen. Gazaros. c.de hæret.

Hinc eſt quòd ſi nobiles in hæ- 6
reſim incidant, vt viles, & infames pœna plebeiorum ſint afficiendi, vt pares cæteris ſint, quibus pares ſunt in dogmatis prauitate: & quos par facinus coinquinat, & æquat, vtroſque ſimilis pœna comitetur. l. ſi quenquam. C.de epiſ. & cler. l. 49. tit.4.lib.16. C.Theodoſ.l.1.tit.27.li. 9.eiuſdem.

Sacerdotes hæretici deſacrandi 7
ſunt ab epiſcopo coram omni clero & populo, detractis inſignibus militiæ ſacræ, cõuocatis Abbatibus, & aliis religioſis viris.c.1. de hęreti.lib. 6. c.degradatio, de pœnis, eodẽ lib. concil. Triden.ſeſſ.13.c.4.

Deſa-

8 Deſacrandi autem priuandique ſunt beneficiis eccleſiaſticis, & honore, ac dignitatibus: ſed requirendi ſunt ad hanc priuationem, ſiue declarationem epiſcopi diœceſani. c. vt commiſsi. §. priuandi. de hære. lib. 6. Io. Bern. in practi. c. 106.

9 Sic & olim virgines Veſtales, quãdo viuę defodiebantur, reſecrabantur, detractis infulis vittati capitis, & purpuratis veſtibus, ac ducebantur cultu miſerabili, auctor Alexander lib. 5. genialium dierum cap. 12. vide ſanctum Ambroſium epiſtola 31.

10 Diuus Chryſoſtomus in epiſtolam ad Coloſſenſes, ſermone 3. inquit: Si in externis, ac mundanis dignitatibus, etiam ſi mille modis quiſquã incuſetur, nõ tamen primũ ad iudiciũ ducitur, niſi prius principatum depoſuerit, ne ille cum ipſo opprobriis pateat: multo magis

gis in prælatura ſpirituali, & cętera.

Cùm ſacerdotes hæretici ad publicum ſpectaculum trahuntur, vt prolata ſententia iudici ſeculari relinquantur: non debent illis imponi inſignia infamia, donec fuerint antea reſacrati: ne dignitas ſacerdotij vileſcere videatur, & ita me perſuadéte iam in Hiſpania ſeruatur. 11

Item hæretici priuati ſunt omni dominio, & iuriſdictione, & eorum ſubiecti ab eis liberati ſunt, quod & Reges, & alios rerum dominos comprehendit. c. vlti. de hęreti. Alfon. lib. 2. de iuſta hæreti. punit. c. 7. 12

Vehementer ſuſpecti condemnari poſſunt arbitrio iudicum pœnis pecuniariis. Nam ſi damnari queunt ad remos, ad carcerem, ad tormenta, ad purgationem, aut abiurationem, eodem arbitrio multo 13

magis

magis condemnari poſſunt ad pœnas pecuniarias, quod & vſu quotidiano receptum eſt. cap. accuſatus. §. ſacerdotes, de hæreti. lib. 6. cap. ſi vos. & ibi glo. 26. q. 5. Card. & Imola. in clem. vlt. in fine, de hęret. Gonſal. de hæret. q. 8. Couar. lib. 2. reſolut. c. 9. Ioan. Bernar. in practi. cap. 134.

14 Hæreſiarchæ atq; ſeductores duriùs puniendi ſunt: quia plus quàm alij delinquunt; quod in Apoc. ca. 19. perſpici poteſt: vbi ſeductores viui miſsi ſunt in ſtagnum ignis ardentis ſulphure; cæteri verò occiſi ſunt gladio. l. quoniam multa. C. ad leg. Iul. de vi. Brunus lib. 1. de hæret. cap. 4.

15 Relicti ſeculari iudici, publicè in conſpectu populi comburendi ſunt: quia vt ciuis meus Sêneca lib. 3. de ira inquit: Animaduerſiones, quo notiores ſunt, plus ad exemplum

plum emendationemq́; proficiunt, ſceleſtorum quidem ſupplicia ideo manifeſtè cunctis oſtenduntur, quoniam vindictæ cum ratione inflictæ officium eſt: alios per aliorum animaduerſiones compeſcere atque cohibere: vt eſt apud Plutarchum, libro De ſera numinis vindicta.

Quin etiam voce præconis pro- 16
clamanda ſunt crimina reorum, eo tempore, quo ad ſuppliciũ trahuntur, id quod in Hiſpania rectiſsimè ſeruari ſolet, atque in aliis nationibus iam olim fieri ſolitum, vel ex D. Chryſoſtomo ſatis perſpicuum eſt. is enim in Pſalmũ 8. inquit: Iudices iubent, vt eos, qui flagris cæduntur, ſequantur, qui clament, & dicant, cur cædantur, ſi fures, ſi raptores.

Domus autem in qua conuen- 17
ticula hæreticorum fiebant, olim

qui-

quidem fiſco vindicabátur, vt multis conſtitutionibus Codicis Theodoſiani cõtinetur ſub titulo de his, qui ſuper religione contẽdunt. ſed plurimis legibus poſterioribus domus illa eccleſiæ catholicæ adiudicatur. l.3. l.Arriani. l.quicunque.C. de hæret. conſtit. nouella. 131. & l. 33. l. 42. l. 44. l. 47. l. 56. C. Theodoſ. de his qui ſuper relig. conten.

18 Hodie verò, ſi domus illa hęretici erat, cum aliis eius bonis publicantur. ſed etſi hominis catholici ſit, nonnunquam tamen euertitur funditùs, columna ibi erecta, in qua ſcripta ſit cauſa propter quam diruta fuerit: vt qui eam viderint, cõmoneantur, ac deterreãtur. ſed pretium domino domus reſtituendum eſt à fiſco. Ioſue 7. Numeri 16. c. deniq;. §. thuribula. 7. q. 1. cõfert. l. Lucius. ff. de euictioni. l. ſi quis ſepulchrum, de religio. & ſumpti. fune.

Quæſi-

Quæſitum fuit, qua pœna coer- 19
cendus eſſet is, qui miniſtrum ſancti officij ſe eſſe finxit, vt aliquem opprimeret, ſpoliaret, vel eluderet? Iulius Paulus libro 5. receptarum ſententiarum, titulo Ad legem Corneliam teſtamentariam, Qui inſignibus, inquit, altioris ordinis vtuntur, militiamque confingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honeſtiores in inſulam deportantur. Modeſtinus ait, Qui ſe pro milite geſſit, vel illicitis inſignibus eſt vſus, vel falſo diplomate vias commeauit, pro admiſſi qualitate grauiſſimè puniendus eſt. Itaq; ſolent impoſtores iſti flagellis cędi, aut cõdemnari ad remos, aut alia iuſta coertione puniri: iubebuntq; iudices, vt ablata reſtituant. l. eos. ff. de falſis. l. 1. de abigeis. l. 1. de concuſſio. l. pen. de crim. ſtellionatus.

 Si epi-

20 Si epiſcopus periurus in aliis cauſis ab adminiſtratione eccleſiæ remouendus eſt, quantò rectius priuandus erit epiſcopatu, qui in cauſa fidei peierauerit? nec enim eccleſias regere merentur, qui periurij crimine fuerint maculati. c. cùm dilecti. de accuſat. c. querelam. c. cùm quidam, de iure iurãn. c. ſi epiſcopus. 50. diſtin. Nicephorus lib. 16. hiſtori. eccle. cap. 25.

21 Iuſtius bellum eſt contra hæreticos, quàm aduerſus Turcas. Nam hi obſequium, & tributa expoſcũt, neque ad ſuam ſectam impellunt: illi verò nõ fortunarum, aut corporis incommodum, ſed animorũ exitium quærũt: ſicuti Antonius Bonfinius lib. 32. rerum Vngaricarum, eleganter diſputat.

22 Demum hæretici nõ ſolùm pœnis temporalibus coercentur in hoc ſeculo: verùm etiam æternis in ſeculo

culo futuro. Nam hæretico, qui eccleſiæ non tenet vnitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna, neque mors pro nomine Chriſti ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quia extra eccleſiam non eſt ſalus: nec eſt particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis, quemadmodum Origenes, Cyprianus, Auguſtinus, Iſidorus, & cæteri omnes tradunt. c. firmiſsimè, de hæreti. c. alienus. c. vbi ſana fides, cum ſeq. 24.q.1. Origenes lib.1. in Iob. col.9. Cyprianus epiſtola ad Iubaianum, prope finem. c. ſi quis à catholica. 23. q. 4. Iſidorus libro 1. de ſummo bono. c.20. Aug. lib. de fide ad Petrum. cap. 39. & epiſtola 50. & 152. & libr. de vera & falſa pœnitentia. cap. 12.

TIT. LXVIII.

1 QVIDQVID hactenus cõmemoraui, rectum, æquum, & bonũ, & ſecũdum diuini, & humani iuris ordinem; id omne in Hiſpania ſeruatur, & ad effectũ perducitur: quo fit vt nihil in terra iuſtius hoc ſacro foro inueniri, cogitarı́ve poſſit. non tamen deſunt iniqui homines, qui rem tam ſanctam, calumniis, atque mendaciis infamare non deſinant: in quos verè illud congruit, Mentita eſt iniquitas ſibi.

2 Fingũt ij, qui in Hiſpaniam rempublicã malè ſunt animati, omnia illa fieri propter bona reorum confiſcãda: cùm ſit certo certius, omnia bona hæreticorũ, rectiſſimè impẽdi in alimentis paupẽrum reorum, & in ſtipendiis miniſtrorũ, & in aliis ſumptibus neceſſariis, vt ne obolus quidem

quidem ad reges catholicos vnquã perueniat.

Alij verò, qui ſunt malo genere nati, vel qui libertate Chriſtiana vellẽt abuti, fabricatores fiunt mẽdaciorum, & ipſi ſibi ſomnia fingunt. à quibus ſi quæras, quid iniuſtum viderint, aut ſciuerint in his tribunalibus eſſe commiſſum, nihil aliud reſpondere ſolent, quàm, à neſcio quibus, ſe id audiuiſſe, quos aiunt eſſe abſentes, vel mortuos, aut nominum illorum non meminiſſe. 3

Quamuis autem iuſtitia, æquitas, clementia, & vtilitas huius ſancti officij euidentiſſimæ ſint, & in re non dubia, teſtes non ſoleant eſſe neceſſarij; vt tamen obſtruatur os loquentium falſa, & iniqua, proferam quatuor viros externos, irrefutabiles, ac fide dignisſimos, qui teſtimonium perhibẽt huic veritati. 4

Vnus teſtis oculatus, multo tem- 5

pore commoratus in Hiſpania, Aloyſius Lippomanus Italus, in epiſtola Sanctorum vitis præfixa, ad Ioannem Bernardum epiſcopũ Calagurritanum ſcribẽs, inquit: Anni triginta ſunt, ex quo hęreſis Lutherana catholicã deuaſtat eccleſiam, ac totum ferè Chriſtianum orbem peragrauit, Hiſpania veſtra duntaxat excepta; quod ego Dei benignitati in primis, ſacræ deinde inquiſitionis præfectorum diligentiæ, & ſedulitati aſcribo. Atque vtinam ſanctus magiſtratus ille apud nos ita in vſu foret, ſicut apud veſtrates eſt: profectò rebus catholicæ fidei longè melius conſultum arbitrarer.

6 Alter quoque teſtis oculatus, qui diu in Hiſpania vixit, Vaſæus Flandrus, poſt alia ſcribit: Quod ſanè ad egregiam Hiſpaniæ laudem pertinet, quæ ſicut opulentia, bellica virtute, imperij amplitudine, reli-

reliquas omnes prouincias, vel ſuperat, vel certè æquat: ita religionis antiquitate, & veræ fidei cultu, nulli omnino priores partes concedit. Fuit profectò Hiſpania Chriſtianæ religionis ſemper obſeruantiſſima, & fidem catholicam, qua ſemel imbuta, ſinceriſsimè vſque coluit, hæreticis infeſtiſsima.

Quotquot in Hiſpania ſunt de 7
rebus fidei cognitores, ea fide religionem officij ſeruant, ea integritate ac vigilantia, vt nemo quiſquam hiſcere cõtra ſacroſanćta ecclesię ſtatuta quicquam audeat. alibi forſan impiè facere non licebit: in Hiſpania, ne loqui quidem niſi piè conceditur: alibi errores fortè iam nati extirpantur: in Hiſpania ipſa etiam errorum ſemina, antequam pullulent, opprimuntur. hęc ille veriſsimè, priori tomo chronicorum Hiſpaniæ, cap. 9.

8 Tertius teſtis, auritus ille quidē, ſed ad quem bonus odor ſanctæ inquiſitionis Hiſpaniæ in remotiſsimo etiā regno peruenit, Hoſius ille Polonus, doctrina & pietate percelebris, lib. 3. aduerſus prolegomena Brentij: Nullū (inquit) regnum eſt noſtro hoc infelici ſeculo magis ab hęreſibus intactū, quàm ſit, vel hoc ſolo nomine feliciſsimū Hiſpaniarum Regnum, cui propter hanc in fide catholica conſtantiam, & eius tuendæ diligentiam, alias prætera multas felicitates Deus largitur.

9 Quartus teſtis auritus, ſed nobis vicinus, Godofredus Gallus, vir doctus, & pius, ita ſcribit: Puniuntur ſuſpecti hæreſeos in religioſiſsimis Hiſpaniæ regnis, vel hoc maximè hac tempeſtate triumphantibus, & ſingulari laude dignis, quod nulla non ſolùm planè hæreſis, verùm ne ſuſpicio quidē hæreſeos, ſine digna

nota,

nota, vel momento maneat. in l. 2. C. de hæreti.

Paulus quoque quartus pontifex maximus, haud multò antequam è viuis excederet, audiens ea omnia, quæ ab inquiſitoribus Hiſpaniæ cõtra nouitios quoſdam hæreticos, eo tẽpore facta erant, coram plurimis ſæpe dixit, officium ſanctæ inquiſitionis in Hiſpània conſtitutum eſſe Spiritu ſancto inſpirante, id quod piè credi poteſt, ac debet. 10

Quæ cùm ita ſint, quin etiã cùm euidentiſsima ſint, quis officiũ hoc ſanctiſsimum infamare audeat, niſi qui mendax, ac temerarius ſit? niſi qui in catholicam fidem malè ſit animatus? niſi qui ſit malo genere natus, aut ab inquiſitoribus punitus, aut puniendus? Poſtremò, niſi qui corrupti ſit iudicij, peſsimi affectus, & reprobi ſenſus? 11

FINIS.

ADNOTATIONES IN ZANCHINVM.

DIEBVS ſuperioribus prodiit in publicum liber Zanchini, de hæreticis, cum additamẽtis Camilli Campegij: opus quidem vtile ad puniendos hæreticos, & in quo, non vt Martialis de alio libro ſcripſit:

Sunt bona, ſunt quædam mediocria; ſunt mala plura. ſed ſi fortè ſunt mala quædam, & mediocria multa, ſunt bona plura.

In eo tamen libro quędam mihi viſa ſunt animaduerſione digna, quę adnotare conſtitui, ne quempiam decipere queant.

CAP. I.

ZANCHINVS *capite octauo, rectè docet, inquiſitorem ſine epiſcopo, & contrà,*

contrà, epiſcopum ſine inquiſitore non poſſe diffinitiuam ſententiam in cauſa hæreſis proferre. Sed Camillus addit: accipiendum id eſſe, vt condemnare alter ſolus non poſſit, ſed tamen abſoluere ſolus poſſit: adijcitque multos iuriſperitos reſpondiſſe, abiurationem fieri poſſe coram ſolo inquiſitore, & ipſum ſolum ſine epiſcopo abſoluere poſſe abiurantē, et ei pœnitētiam imponere. ſed quamuis ea opinio multorum fuerit, & argumentis probabilibus fulciri queat: mihi tamen contraria ſententia, quæ multis quoque placuit, verior ſemper viſa fuit. Nam legiſlatoris mens verbis eius non repugnans, manifeſtè vult, huiuſmodi cauſas epiſcopi, & inquiſitoris, ſententia ſimul terminari, vt eiuſdem labis indago ſolemnius, diligentius, & cautius peragatur, quia magis integrum erit amborum iudicium quàm vnius. quod ſi ſolus alter duro, ſiue arcto carceri reum tradere, & tormentis exponere, ſine altero

altero nequit : quanto minus alter ſolus abſoluere poterit ? cui quod minus eſt denegatur, maiora conceſſa eſſe putabimus ? per tormenta peruenitur ad condemnationem, vel abſolutionem : & qui torquere non valet, is abſoluendi poteſtatem habebit ? adde quod ideo ſimul conuenire debent epiſcopi, & inquiſitores, vt collatis ſententiis, ea quæ melior ſit, eligatur, quid autem ſi deterior ſit abſoluentis ſententia ? quid ſi damnare velit epiſcopus eum, quem inquiſitor abſoluit ? quid ſi epiſcopus ſolus abſoluere velit nocentem ? nunquid hæreſis erit impunita ? melius ergo, atq; tutius erit, vt ambo ſimul innocentem abſoluant. prætereo, quòd ſententia, qua pœnitens aut vehementer ſuſpectus abiurare cogitur, & ea qua damnatur ad pœnitentiam agendam, condemnatoria eſt, non abſolutoria, ea igitur ab altero ſolo proferri nequit. Clem. 1. §. 1. de hæreti.

CAP.

CAP. II.

CAMILLVS *Campegius, vir doctus, theologus, & inquiſitor apoſtolicus, quod quidem in Italia fieri aliter nequit: nam in Hiſpania iuriſperiti eo munere rectè funguntur, vt alibi oſtendimus: Camillus (inquam) ſecutus quorundam iuriſperitorum opiniones, nonnunquam cum eis errat; non tam ſua, quàm illorum culpa, qui iuribus, aut rationibus niti debuerunt, non autem opinationibus falſis. ille quidem in caput Zanchini nonum ait: ſocio criminis fidem non eſſe habendam, niſi tortus fuerit. quæ opinio, neque iure, neq; ratione probatur: itaque ſatis erit ad eam cõfutandã, ſi dicatur eos aſſertores ſine lege, ac ſine ratione loqui: adde quod plus credendum eſt ſpontaneo teſti, quàm coacto: ſæpe enim cogit mentiri dolor, præſertim cùm teſtis de certa perſona interrogatur, quod magis ſuggerentis, quàm interrogantis eſt, & qui torquetur, ea dicere*

cupit,

cupit, quæ ſcit torquentem audire velle, & quibus dictis ceſſet cruciatus, vt luculentiùs in meis catholicis inſtitutionibus dixi, ſub titulo De tormentis. Denique torquendus non eſt particeps criminis, cùm vera dicit ſine tormentis.

CAP. III.

NON *ſatis quidem perſpicio, quam ob rem factum ſit, vt criminũ tractatus (in quibus de vita, de fama, denique de omnibus reorum bonis agitur) nõ à iure conſultis celeberrimis, ſed à iuris peritis quibuſdam editi ſint, qui non via, & ratione, ſed iniquis conſuetudinibus ducti, alij alios ſecuti, errare perniciosè ſolent. hi autem (vt iam antè dixi) pòſt ſe Camillum traxerũt: qui eodem in loco paulò pòſt inquit: nõ eſſe faciendam ante torturam indiciorum copiam reo, ſi ille fuerit malæ vitæ, & famæ: quod quidem contra iura diuina, & humana indigniſſimè aſſeritur. cur enim defenſionis*

facultas

facultas deneganda eſt homini infamato, cùm neque diabolo eſſe negandam, quidam iuris peritiſſimus non imperitè dixerit. præſumetur (fateor) cõtra talem hominem potiùs quàm aduerſus alium, qui bonæ exiſtimationis, & vitæ ſit: ſed interim nulli eſt inferenda iniuria. l. defenſionis. C. de iure fiſci. lib. 10.

CAP. IIII.

EST *& alius error, ibidem relatus ab eodem Camillo, dicentium non eſſe dandam indiciorum copiam reo non petenti. leges verò non ita loquuntur: ſed in primis vetant, ne quid contra inauditum hominem, ne quid indictâ cauſa definiatur: ne quis damnetur antequam locum defendendi accipiat ad abluenda crimina. damnari autem ad ſubeunda tormenta, quæ ſolent eſſe amariora morte, res eſt momenti maximi. ad hæc reus ipſe defenſionibus renunciare nequit, etſi non defendatur, curare tamen*

iudex

iudex debet, ne indefenſus damnetur. c. 1. de cauſa poſſe. actorum 25. glo. in l. pactum inter hæredem. ff. de pactis. l. ſi non defendantur. ff. de pœnis.

CAP. V.

SED *etſi vera eſſet opinio illa, quæ, vt mihi quidem videtur, crudelis eſt, & falſa: qualem eam eſſe putabimus, quam idem Camillus ſtatim memorat: ait enim, non eſſe reo dandam indiciorum copiam, cùm eam ſimpliciter petit, nec dicit, qualem defenſionem facere intendit, ſed tantùm probare velle illa indicia eſſe falſa: quomodo reus afferre poteſt ſpecialem defenſionem ad diluenda indicia, quorum copia ei denegatur? nunquid cogendus eſt diuinare? & quid amplius dicere poteſt, quàm ſe eſſe paratum ad probandam indiciorum falſitatem? profectò eiuſmodi opiniones, quibus perniciosè auferuntur defenſiones*

nes reorum, è tribunalibus omnibus explodendæ atque eiiciendæ ſunt.

CAP. VI.

AC *ne in ſingulis confutandis morer, aceruatim alia referam. Scribit poſt alios Camillus alias exceptiones antecedentibus ſimiles: ſcilicet non eſſe reo exhibendam indiciorum copiam, cùm ex forma ſtatuti per inquiſitionem proceditur: & cùm denunciat crimen ſyndicus, vel officialis, & cùm timetur de ſubornatione teſtium, vel de periculo eorum, & cùm proceditur ex mero officio; & cùm recepti ſunt teſtes ad curiæ informationem: poſtremò cùm reus contumax præſentiam ſui facit, quæ omnia tam euidenter ſunt iniqua, & falſa, vt ea retuliſſe, confutaſſe ſit: quid enim cauſę in quoquam illorum afferri poteſt, cur auferatur defenſionis facultas contra diuina & humana iura? quòd ſi periculum immineat, nomina*

teſtium occultari poterunt; ſi verò crimen ſit notorium (Nam & hunc caſum omiſeram) non ad tormenta, ſed ad condemnationem perueniendum eſt.

CAP. VII.

MIROR *autem Camillum virum doctum in ea opinione fuiſſe, vt putet, ex probationibus in inquiſitione generali receptis abſq; noua repetitione poſſe quempiam damnari de hæreſi. Nam etſi contra aliquem infamatum inquiſitio ſpecialis fiat, damnari tamen non poteſt, niſi teſtes repetantur, & copia teſtimoniorum reo detur, & locum accipiat ad crimina diluenda, vt plenius in catholicis meis inſtitutionibus diſputaui. nec illud verum eſt, quod ibidem ſcribit ad vnius teſtis dictum torqueri reum poſſe, niſi & alia concurrant, quæ in enchiridio quoque retuli.*

CAP.

CAP. VIII.

ZANCHINVS *cap. 10. inquit: Captus pro hæreſi fugiens, vel attentans frangere carcerem, pro cōuicto habetur, vt tanquam hæreticus damnetur: & inibi Camillus eius opinionem approbat, ſed in primis conſidera opinionem hanc nec pontificia lege, neque ciuili probari: quòd ſi vera eſſet in aliis criminibus, quæ quidem valde dubia eſt; in crimine tamen hæreſis locum habere non poteſt: tum quia de ſalute animarum præcipuè in eius punitione tractatur: tum etiam quia hæretico reſipiſcenti ignoſcitur, quod in cæteris criminibus non fit. ad hæc ſi fractor carceris non eſt hæreticus, veniam petere nec debet, nec poteſt, & tamen damnaretur propter præſumptionem quandam, ex qua nihil minus conſequitur, quàm hæreſis: quid enim commune habet cum hæreſi effractio carceris? quis hoc argumentum admittat:*

fugit, carcere fracto, ergo hæreticus eſt? Cùm potius ſit interpretandum, fugiſſe illum carceris tædio, vel metu falſorum teſtium, vel propter naturalem libertatis appetentiam, cuius auidum hominem ipſa natura finxit. iure igitur, ac meritò ea opinio damnata, & è ſacris tribunalibus eiecta eſt. punitur autem effractor carceris pœnis arbitrariis pro criminis qualitate cauſa hæreſis in ſuo ſtatu manente.

CAP. IX.

ADDIT *mox Zanchinus: de eo qui erat detruſus in carcerem, ſeu monaſterium ad pœnam, ſeu pœnitentiam peragendam, & aufugit, ſeu tentauit fugam, ita quod non ſtetit per eum; nulla eſt dubitatio, quòd pro hæretico poſſit damnari: hactenus ille. quam opinionem alibi planiſſimè confutaui. Omnes enim qui eam ſequuntur, neceſſe eſt, vt fateantur talem fugitiuum non*

incidere in hæreſim ſola fuga; ſed ad ſummum eſſe impœnitentem: quòd ſi voluerit pœnitentiam peragere, & alias pœnas arbitrarias pro culpa fugæ impoſitas., ſubire, atque eum rectè pœniteat; damnari quidem tanquam hæreticus impœnitens nequit.

CAP. X.

CAMILLVS *in cap. 11. Zanchini multa congerit ſuper quæſtione, an propter ſolam famã poſſit quiſpiam torqueri: quam nos in catholicis inſtitutionibus planè reſoluimus. addit tamen nihil referre, an quis de hæreſi diffamatus fuerit apud graues, & bonos teſtes, an apud infames, & viles, quantum attinet ad purgationem indicendam, quod ratione, ac iure probare nititur: ratione, quia ſi tales teſtes admittuntur ad probandam hæreſim, à fortiori ſufficient ad probandam infamiam: lege quoque pontificia probari videtur.*

Nam Innocentius tertius conſtituit purgationem eſſe indicendam, quamuis infamia fuerit ab æmulis orta.c.in fidei.de hæreti. lib.6. c. accedens, de purga. cano.

Sed hæc opinio dura eſt, vt rectè Camillus ipſe dicit, & vt mihi quidem videtur, iniuſta eſt, & falſa. Nam ad probandam hæreſim admittuntur excõmunicati, & ſocij criminis in defectum aliarum probationum: ad probandam verò publicam infamiam, deeſſe non poterunt teſtes meliores: alioqui non admodũ nocebit vilium & infamiũ opinio, atque teſtimonium, præſertim cùm infamare voluerint hominem probũ, & qui ſit exiſtimationis bonæ. leges autẽ ſemper plus bonis teſtibus, quàm improbis tribuunt, & originem famæ conſiderãt, vt non à maleuolis & maledicis, ſed à prouidis, & honeſtis orta ſit. c. qualiter.2.de accuſat.l.3.§.1.ff. de teſtib.

Nec obſtat lex Innocentij, quia non de fama criminis, ſed de nota defectus loqui-

loquitur: nec ait, æmulis eſſe credendum, ſed quòd reus dicebat, famam ab æmulis ortam eſſe, & ſummus ipſe pontifex nihil æmulorum teſtimonia curat, ſed publicam notam; quæ proculdubio probanda erat, non aliis teſtibus, quàm fide dignis. c. accedens, de purgat. cano.

CAP. XI.

ZANCHINVS *cap. 13. in ea opinione cum multis eſt, vt cùm generaliter inquiritur, ſi plures teſtes ſingulares teſtimonium contra aliquem dixerint, quòd reus ille damnari poſſit talibus teſtimoniis; ſed hæc opinio falſa proculdubio eſt: quid enim refert, an ſit generalis inquiſitio, vel ſpecialis? cùm vtroque caſu teſtes ſingulares ſint, & ne repetam ea, quæ prolixiùs in hoc errore confutando in inſtitutionibus catholicis, & in Enchiridio ſcripſi, ad eos libros lectorem mitto.*

CAP. XII.

IDEM *Zanchinus cap. 16. inquit, clericum̨ hæreticum pœnitentem ab officio, vel beneficio deponendum non eſſe, ſed ad tempus poſſe ſuſpendi: hæc opinio eſt euidenter falſa, & multis legibus contraria. Nam & clerici grauiùs quàm laici delinquunt, & ſeueriùs puniendi ſunt, bonis omnibus ipſo iure priuati. c. accuſatus. ſ. vlti. c. vt commiſſ. ſ. priuati, de hæreti. lib. 6. c. ad abolendam. c. excommunicamus. §. credentes verſi, ſi verò clericus, eodem tit. lib. 5.*

CAP. XIII.

CAMILLVS *in cap. 22. gloſſam quandam ſecutus inquit: hæreticũ eum eſſe, qui contra fidem catholicam prædicat, licet quod dicit verum eſſe non credat: quamuis autem ex propria definitione ille non ſit hæreticus, cùm errorem*

rem intellectus non habeat, attamen eccleſia eum pro hæretico habere, quinimo tanquam dogmatiſtam ſeueriſſimè puni-re debet; quippe cùm magis peccare videatur is, qui ſciens alios decipit, quàm qui & ipſe deceptus erat. vidi ego cauſam cuiuſdam, qui mulieri perſuadebat tactum libidinis nõ eſſe peccatum, idque illam docebat, & iureiurando confirmabat: qui poſtea comprehenſus dicebat, ſe id non credidiſſe, ſed manifeſtam eſſe cauſam, propter quam errorem illum affirmabat. mihi autem videbatur, eum puniendum tanquam dogmatiſtam, quia doctus erat, & ignorantes decipiebat: & quia pontificia lex ait; hæreticos eſſe eos, qui aliter ſentiunt, aut docent, quàm ſacroſancta Romana eccleſia prædicat, & obſeruat, (cap. ad abolendam) ergo ſatis eſt alteram partem alternatiuæ, ſiue diſiunctiuæ orationis veram eſſe. Præterea hæretici multi vel propter vanam gloriam, vel odio aliquo-

a 5 rum,

rum, vel propter voluptatem, vel propter nefarium lucrum opiniones hæreticas gignunt, ſcientes eas eſſe falſas, quod euidentius eſt, quàm vt probatione indigeat: idq́ue vetus, & antiquum eſt, non ſolùm inter Chriſtianos, ſed inter ethnicos etiã. vnde illud Martialis lib. 4.

Nullos eſſe deos, inane cælum
Affirmat Selius, probatq́ue quod ſe
Factũ dum negat, hoc videt beatum.

Et non ideo minus hæretici verè ſunt, & vt hæretici puniendi.

CAP. XIIII.

SCRIBIT *Zanchinus cap. 25. quòd hodie de neceſſitate habet epiſcopus, & inquiſitor redeuntibus ad ſinum eccleſiæ facere gratiam, & dimittere bona: quia ex quo recipiuntur, bona non ſunt eis auferenda: equidem vix adduci poſſum, vt credã hæc fuiſſe verba Zanchini: quomodo enim vir doctus, qui paulò antè veram doctrinã ſcripſit, mox ſibi ipſi, &*

iuribus

iuribus vulgatis contrarius, errorẽ hunc tradere potuit? bona hæreticorum ipſo iure ſunt confiſcata: quo igitur pacto epiſcopus, & inquiſitor bona publicata condonare queunt? ſummus pontifex, plenitudine poteſtatis vtens, conſtituit (vt audio) vt in Italia non auferantur bona hæreticis pœnitentibus; ſed iudices inferiores extra Italiam iura communia ſeruare tenentur. addo quòd magis timetur bonorũ publicatio, quàm cæteræ punitiones, præſertim ab hæreticis, qui carnales ſunt omnes, & rebus temporalibus affixi: æquiſſimum quidem eſt, vt eis qui ſe deferunt, & ſponte priuſquam delati ſunt, ad eccleſiam redeunt, bona donentur omnia: ſed qui comprehenſus, & in carcerem cõiectus, poſt multa periuria (vt fieri ſolet) coactus & conuictus ne bonis priuetur, ſe velle pœnitere ait: profectò indignus eſſe videtur tanta clementia: & impunitum ferè manet hæreſis crimen.

Atque

Atque hæc quidem curſim in eo libro notaui: non quòd velim in opere alieno ingenioſus videri; ſed quòd ea ferè omnia libris editis aliter ipſe tradideram: quæ autem confutanda eſſe duxi, ſumma breuitate collegi: pluribus enim id quod perſpicuè falſum eſt refellere, moleſtum, graueque eſt, & ſcribenti, & legenti, vt rectè beatus Iuſtinus ait prima quæſtione gentibus poſita.

CAP. VLTIMVM.

1 POST *annotatiunculas in Zanchinum, quas Romæ à meis libris abſens veloci calamo ſcripſeram, recordatus ſum diſputationis Camilli eidem operi (capite octauo) inſertæ, in qua neſcio, quo ſpiritu, de epiſcopo & inquiſitore ſcribens, ait: Siue vtriuſque perſonam, aut officium, ſiue iuriſdictionem, & auctoritatem conſpiciamus, inquiſitorem epiſcopo præferendum, aut coæquandum, vel ſaltem nullo modo ſubijciendum eſſe.*

Quæſtio

Quæſtio ibidem à Camillo tractata, vtrum epiſcopus inquirere poßit contra inquiſitorem hæreticum, aut nunquam, aut perquàm rarò accidet: quamobrem multa verba in ea non ſunt impendenda. quod ſi fortè vnquam contingat, inquiſitorem hæreticum eſſe; probabile quidem eſt, epiſcopum contra eum inquirere, ac fugitiuum comprehendere poße: quòd ſi nulla fugæ ſuſpicio ſit, ſaltem ſe informare debet, & Papam, aut inquiſitorem generalem conſulere: hoc enim non ſolùm prohibitum non eſt, ſed ordinaria ſua iuriſdictione id facere debet epiſcopus. c. per hoc. de hæreti. lib. 6. extrauag. cùm Matthæus, eodem tit. cum aliis. 2

Sed venio nunc ad egregiam illam Camilli propoſitionē, ſiue vtriuſque (inquit) perſonā conſpiciamus, neſcio quam perſonā imponit inquiſitori, quæ dignior ſit epiſcopo: niſi fortè perſonam monachi, quam ipſe gerebat: quod quàm ſit ridiculum, nemo eſt, qui non planè perſpiciat: 3

ſpiciat: ſiue enim ſit clericus, ſiue monachus, ſiue quidquid fingere voluerit, nullam geret perſonam, quæ non ſit epiſcopo longè inferior. Addit ſtatim, aut officium: quod quidem non minus ridiculũ, & abſurdum eſt; quis enim vnquam conferre poſſit inquiſitoris officium cum epiſcopi officio?

4 *Adiicit, ſiue iuriſdictionem, & auctoritatem, et quis maiorem iuriſdictionem, & auctoritatem dedit inquiſitori, qui conſtituitur in partem ſolicitudinis, & remouetur ab officio, voluntate, arbitrio, quin etiam nutu ſolo delegantis: qui ſimplex clericus, aut monachus eſt, qui aut primæ tonſuræ, aut ſubdiaconus, vel diaconus, vel ad ſummum presbyter eſt: qualem huic maiorem iuriſdictionem, & auctoritatem inuenias ineſſe, aut eſſe tributam?*

5 *Vnde ergo iſthæc tam falſa & abſurda homini docto perſuaſa ſunt, niſi ex abuſu quarũdam prouinciarũ Italiæ, in qui-*

in quibus cum magna Chriſtianæ religionis iactura epiſcoporum dignitas viluit, ſiue propter paupertatem, ſiue propter multitudinem eorum, ſiue propter alia, quæ dicere nolo.

Legi ego innumerabiles ferè hiſtorias veteres atque nouas, & nuſquam inueni epiſcopos apud Chriſtianos tã principes, quàm alios homines in pretio magno, & in ſumma veneratione non eſſe atque fuiſſe, præterquàm vbi iam antè dixi: quod quàm ſit iniquum, vel ex vna diui Hieronymi epiſtola perſpici poteſt: Euagrio enim ſcribens, inquit: Vbicunque fuerit epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Engubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti eſt, & ſacerdotij, potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. hæc ille epiſtola 85.

Vt au-

Ut autem facile appareat, quo in loco habendi ſint epiſcopi, ex plurimis pauca breuiter, ſtrictimque collecta huic opuſculo ſubiunxi, vt ſint inexcuſabiles, qui eos, atque adeò Chriſtum Dominum ſpernunt.

FINIS.

DE

DE DIGNITATE EPISCOPALI.

Epiſcoporum dignitas non eſt inuentionis humanæ, ſed inſtitutionis diuinæ.

CAP. I.

PAVLVS apoſtolus apud Lucam, *Attendite* (inquit) *vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, Act.20. 1

Sanctus Ignatius epiſt.3. Epiſcopus non ab homine, ſed à Deo habet promotionem. 2

Anacletus Papa martyr epiſt. 3. Sacerdotum ordo bipartitus eſt, ſicut Dominus illum inſtituit, epiſcoporum, & presbyterorum. 3

Diuus Iacobus ab ipſo Domino ordinatus fuit in epiſcopũ, vt Cle- 4

mens lib.1.recognitionũ eſt auctor.

5 D. Auguſtinus lib. de quæſtionibus veteris & noui Teſtamenti, ait, Chriſtum Dominũ priuſquam in cælos aſcenderet, eleuatis manibus apoſtolos benedixiſſe, eosque epiſcopos inſtituiſſe.

6 Denique concilium Tridentinũ declarat, epiſcopos à Chriſto & Spiritu ſancto inſtitutos eſſe, atque ab ipſo poteſtatem habere, ſeſſione 23. cap.4.& canone 6.

Epiſcopi ſunt legati Chriſti, & eius locum tenentes. CAP. II.

1 PETRVS apoſtolus dixit: Zachæũ vobis ordinaui epiſcopũ, quẽ quaſi Chriſti locũ ſeruantem honorare debetis, obedientes ei ad ſalutẽ veſtram: quod ſanctus Clemens retulit lib.3.recognitionum.

2 Idem Clemens epiſtola 3.Omnis pontifex ſacro chriſmate perũctus, & in

& in ciuitate conſtitutus, charus, & pretioſus hominibus oppidò eſſe debet: quem quaſi Chriſti locum tenentem, honorare omnes debent.

Diuus Anacletus epiſtola 2. Epi- 3
ſcopi à Chriſto miſſi ſunt, & eius funguntur legatione.

Euariſtus Papa epiſtola 2. Sacer- 4
dotes vice Chriſti legatione funguntur in eccleſia: & ſicut ei ſua eſt coniuncta ſponſa, hoc eſt, eccleſia; ſic epiſcopi iunguntur eccleſiæ vnicuique pro portione ſua.

Euſebius Papa epiſt. 3. Caput ec- 5
cleſiæ Chriſtus eſt; Chriſti autem vicarij ſacerdotes (id eſt, epiſcopi) ſunt, qui vice Chriſti legatione funguntur in eccleſia.

Clemens quintus: Epiſcopi di- 6
cuntur ſanctiſſimi, & Chriſti legati exiſtunt. Clem. 1. §. nec ſuper, de pœnis.

fugit, carcere fracto, ergo hæreticus eſt? Cùm potius ſit interpretandum, fugiſſe illum carceris tædio, vel metu falſorum teſtium, vel propter naturalem libertatis appetentiam, cuius auidum hominem ipſa natura finxit. iure igitur, ac meritò ea opinio damnata, & è ſacris tribunalibus eiecta eſt. punitur autem effractor carceris pœnis arbitrariis pro criminis qualitate cauſa hæreſis in ſuo ſtatu manente.

CAP. IX.

ADDIT *mox Zanchinus: de eo qui erat detruſus in carcerem, ſeu monaſterium ad pœnam, ſeu pœnitentiam peragendam, &c. aufugit, ſeu tentauit fugam, ita quod non ſtetit per eum; nulla eſt dubitatio, quòd pro hæretico poſſit damnari: hactenus ille. quam opinionem alibi planiſſimè confutaui. Omnes enim qui eam ſequuntur, neceſſe eſt, vt fateantur talem fugitiuum non*

incidere in hæreſim ſola fuga; ſed ad ſummum eſſe impœnitentem: quòd ſi voluerit pœnitentiam peragere, & alias pœnas arbitrarias pro culpa fugæ impoſitas, ſubire, atque eum rectè pœniteat; damnari quidem tanquam hæreticus impœnitens nequit.

CAP. X.

CAMILLVS *in cap.* 11. *Zanchini multa congerit ſuper quæſtione, an propter ſolam famã poſſit quiſpiam torqueri: quam nos in catholicis inſtitutionibus planè reſoluimus. addit tamen nihil referre, an quis de hæreſi diffamatus fuerit apud graues, & bonos teſtes, an apud infames, & viles, quantum attinet ad purgationem indicendam, quod ratione, ac iure probare nititur: ratione, quia ſi tales teſtes admittuntur ad probandam hæreſim, à fortiori ſufficient ad probandam infamiam: lege quoque pontificia probari videtur.*

Nam Innocentius tertius conſtituit purgationem eſſe indicendam, quamuis infamia fuerit ab æmulis orta.c.in fidei.de hæreti. lib.6. c. accedens, de purga. cano.

Sed hæc opinio dura eſt, vt rectè Camillus ipſe dicit, & vt mihi quidem videtur, iniuſta eſt, & falſa. Nam ad probandam hæreſim admittuntur excõmunicati, & ſocij criminis in defectum aliarum probationum: ad probandam verò publicam infamiam, deeſſe non poterunt teſtes meliores: alioqui non admodũ nocebit vilium & infamiũ opinio, atque teſtimonium, præſertim cùm infamare voluerint hominem probũ, & qui ſit exiſtimationis bonæ. leges autẽ ſemper plus bonis teſtibus, quàm improbis tribuunt, & originem famæ conſiderãt, vt non à maleuolis & maledicis, ſed à prouidis, & honeſtis orta ſit. c. qualiter.2.de accuſat.l.3.§.1.ff. de teſtib.

Nec obſtat lex Innocentij, quia non de fama criminis, ſed de nota defectus loqui-

loquitur: nec ait, æmulis eſſe credendum, ſed quòd reus dicebat, famam ab æmulis ortam eſſe, & ſummus ipſe pontifex nihil æmulorum teſtimonia curat, ſed publicam notam; quæ proculdubio probanda erat, non aliis teſtibus, quàm fide dignis. c. accedens, de purgat. cano.

CAP. XI.

ZANCHINVS *cap. 13. in ea opinione cum multis eſt, vt cùm generaliter inquiritur, ſi plures teſtes ſingulares teſtimonium contra aliquem dixerint, quòd reus ille damnari poſſit talibus teſtimoniis; ſed hæc opinio falſa proculdubio eſt: quid enim refert, an ſit generalis inquiſitio, vel ſpecialis? cùm vtroque caſu teſtes ſingulares ſint, & ne repetam ea, quæ prolixiùs in hoc errore confutando in inſtitutionibus catholicis, & in Enchiridio ſcripſi, ad eos libros lectorem mitto.*

CAP. XII.

IDEM *Zanchinus cap. 16. inquit, clericum hæreticum pœnitentem ab officio, vel beneficio deponendum non eſſe, ſed ad tempus poſſe ſuſpendi: hæc opinio eſt euidenter falſa, & multis legibus contraria. Nam & clerici grauiùs quàm laici delinquunt, & ſeueriùs puniendi ſunt, bonis omnibus ipſo iure priuati. c. accuſatus. §. vlti. c. vt commiſſ. §. priuati, de hæreti. lib. 6. c. ad abolendam. c. excommunicamus. §. credentes verſi, ſi verò clericus, eodem tit. lib. 5.*

CAP. XIII.

CAMILLVS *in cap. 22. gloſſam quandam ſecutus inquit: hæreticũ eum eſſe, qui contra fidem catholicam prædicat, licet quod dicit verum eſſe non credat: quamuis autem ex propria definitione ille non ſit hæreticus, cùm errorem*

rem intellectus non habeat, attamen eccleſia eum pro hæretico habere, quinimo tanquam dogmatiſtam ſeueriſſimè puni-re debet; quippe cùm magis peccare videatur is, qui ſciens alios decipit, quàm qui & ipſe deceptus erat. vidi ego cauſam cuiuſdam, qui mulieri perſuadebat tactum libidinis nõ eſſe peccatum, idque illam docebat, & iureiurando confirmabat: qui poſtea comprehenſus dicebat, ſe id non credidiſſe, ſed manifeſtam eſſe cauſam, propter quam errorem illum affirmabat. mihi autem videbatur, eum puniendum tanquam dogmatiſtam, quia doctus erat, & ignorantes decipiebat: & quia pontificia lex ait; hæreticos eſſe eos, qui aliter ſentiunt, aut docent, quàm ſacroſancta Romana eccleſia prædicat, & obſeruat, (cap. ad abolendam) ergo ſatis eſt alteram partem alternatiuæ, ſiue diſiunctiuæ orationis veram eſſe. Præterea hæretici multi vel propter vanam gloriam, vel odio aliquo-

rum, vel propter voluptatem, vel propter nefarium lucrum opiniones hæreticas gignunt, ſcientes eas eſſe falſas, quod euidentius eſt, quàm vt probatione indigeat: idq́ue vetus, & antiquum eſt, non ſolùm inter Chriſtianos, ſed inter ethnicos etiã. vnde illud Martialis lib. 4.

Nullos eſſe deos, inane cælum
Affirmat Selius, probatq́ue quod ſe
Factũ dum negat, hoc videt beatum.

Et nòn ideo minus hæretici verè ſunt, & vt hæretici puniendi.

CAP. XIIII.

SCRIBIT *Zanchinus cap. 25. quòd hodie de neceſſitate habet epiſcopus, & inquiſitor redeuntibus ad ſinum eccleſiæ facere gratiam, & dimittere bona: quia ex quo recipiuntur, bona non ſunt eis auferenda: equidem vix adduci poſſum, vt credã hæc fuiſſe verba Zanchini: quomodo enim vir doctus, qui paulò antè veram doctrinã ſcripſit, mox ſibi ipſi, &*

iuribus

iuribus vulgatis contrarius, errorē hunc tradere potuit? bona hæreticorum ipſo iure ſunt confiſcata: quo igitur pacto episcopus, & inquiſitor bona publicata condonare queunt? ſummus pontifex, plenitudine poteſtatis vtens, conſtituit (vt audio) vt in Italia non auferantur bona hæreticis pœnitentibus; ſed iudices inferiores extra Italiam iura communia ſeruare tenentur. addo quòd magis timetur bonorū publicatio, quàm cæteræ punitiones, præſertim ab hæreticis, qui carnales ſunt omnes, & rebus temporalibus affixi: æquiſſimum quidem eſt, vt eis qui ſe deferunt, & ſponte priuſquam delati ſunt, ad eccleſiam redeunt, bona donentur omnia: ſed qui comprehenſus, & in carcerem cōiectus, poſt multa periuria (vt fieri ſolet) coactus & conuictus ne bonis priuetur, ſe velle pœnitere ait: profectò indignus eſſe videtur tanta clementia: & impunitum ferè manet hæreſis crimen.

Atque

Atque hæc quidem curſim in eo libro notaui : non quòd velim in opere alieno ingenioſus videri ; ſed quòd ea ferè omnia libris editis aliter ipſe tradideram: quæ autem confutanda eſſe duxi , ſumma breuitate collegi : pluribus enim id quod perſpicuè falſum eſt refellere , moleſtum, graueque eſt, & ſcribenti, & legenti, vt rectè beatus Iuſtinus ait prima quæſtione gentibus poſita.

CAP. VLTIMVM.

1 POST *annotatiunculas in Zanchinum, quas Romæ à meis libris abſens veloci calamo ſcripſeram , recordatus ſum diſputationis Camilli eidem operi (capite octauo) inſertæ, in qua neſcio, quo ſpiritu, de epiſcopo & inquiſitore ſcribens, ait : Siue vtriuſque perſonam, aut officium, ſiue iuriſdictionem, & auctoritatem conſpiciamus, inquiſitorem epiſcopo præferendum, aut coæquandum, vel ſaltem nullo modo ſubijciendum eſſe.*

Quæſtio

Quæſtio ibidem à Camillo tractata; vtrum epiſcopus inquirere poßit contra inquiſitorem hæreticum, aut nunquam, aut perquàm rarò accidet: quamobrem multa verba in ea non ſunt impendenda. quod ſi fortè vnquam contingat, inquiſitorem hæreticum eſſe; probabile quidem eſt, epiſcopum contra eum inquirere, ac fugitiuum comprehendere poße: quòd ſi nulla fugæ ſuſpicio ſit, ſaltem ſe informare debet, & Papam, aut inquiſitorem generalem conſulere: hoc enim non ſolùm prohibitum non eſt, ſed ordinaria ſua iuriſdictione id facere debet epiſcopus. c. per hoc. de hæreti. lib. 6. extrauag. cùm Matthæus, eodem tit. cum aliis. 2

Sed venio nunc ad egregiam illam Camilli propoſitionẽ, ſiue vtriuſque (inquit) perſonã conſpiciamus, neſcio quam perſonã imponit inquiſitori, quæ dignior ſit epiſcopo: niſi fortè perſonam monachi, quam ipſe gerebat: quod quàm ſit ridiculum, nemo eſt, qui non planè perſpiciat: 3

ſpiciat: ſiue enim ſit clericus, ſiue monachus, ſiue quidquid fingere voluerit, nullam geret perſonam, quæ non ſit epiſcopo longè inferior. Addit ſtatim, aut officium: quod quidem non minus ridiculũ, & abſurdum eſt; quis enim vnquam conferre poſſit inquiſitoris officium cum epiſcopi officio?

4 *Adiicit, ſiue iuriſdictionem, & auctoritatem, et quis maiorem iuriſdictionem, & auctoritatem dedit inquiſitori, qui conſtituitur in partem ſolicitudinis, & remouetur ab officio, voluntate, arbitrio, quin etiam nutu ſolo delegantis: qui ſimplex clericus, aut monachus eſt, qui aut primæ tonſuræ, aut ſubdiaconus, vel diaconus, vel ad ſummum presbyter eſt: qualem huic maiorem iuriſdictionem, & auctoritatem inuenias ineſſe, aut eſſe tributam?*

5 *Vnde ergo iſthæc tam falſa & abſurda homini docto perſuaſa ſunt, niſi ex abuſu quarũdam prouinciarũ Italiæ, in qui-*

in quibus cum magna Chriſtianæ religionis iactura epiſcoporum dignitas viluit, ſiue propter paupertatem, ſiue propter multitudinem eorum, ſiue propter alia, quæ dicere nolo.

Legi ego innumerabiles ferè hiſtorias veteres atque nouas, & nuſquam inueni epiſcopos apud Chriſtianos tã principes, quàm alios homines in pretio magno, & in ſumma veneratione non eſſe atque fuiſſe, præterquàm vbi iam antè dixi: quod quàm ſit iniquum, vel ex vna diui Hieronymi epiſtola perſpici poteſt: Euagrio enim ſcribens, inquit: Vbicunque fuerit epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Engubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti eſt, & ſacerdotij, potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. hæc ille epiſtola 85.

Vt au-

Vt autem facile appareat, quo in loco habendi ſint epiſcopi, ex plurimis pauca breuiter, ſtrictimque collecta huic opuſculo ſubiunxi, vt ſint inexcuſabiles, qui eos, atque adeò Chriſtum Dominum ſpernunt.

FINIS.

DE

DE DIGNITATE EPISCOPALI.

Epiſcoporum dignitas non eſt inuentionis humanæ, ſed inſtitutionis diuinæ.

CAP. I.

PAVLVS apoſtolus apud Lucam, *Attendite* (inquit) *vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, Act.20. 1

Sanctus Ignatius epiſt.3. Epiſcopus non ab homine, ſed à Deo habet promotionem. 2

Anacletus Papa martyr epiſt. 3. Sacerdotum ordo bipartitus eſt, ſicut Dominus illum inſtituit, epiſcoporum, & presbyterorum. 3

Diuus Iacobus ab ipſo Domino ordinatus fuit in epiſcopũ, vt Cle- 4

& in ciuitate conſtitutus, charus, & pretioſus hominibus oppidò eſſe debet: quem quaſi Chriſti locum tenentem, honorare omnes debent.

Diuus Anacletus epiſtola 2. Epiſcopi à Chriſto miſſi ſunt, & eius funguntur legatione. 3

Euariſtus Papa epiſtola 2. Sacerdotes vice Chriſti legatione funguntur in eccleſia: & ſicut ei ſua eſt coniuncta ſponſa, hoc eſt, eccleſia; ſic epiſcopi iunguntur eccleſiæ vnicuique pro portione ſua. 4

Euſebius Papa epiſt. 3. Caput eccleſiæ Chriſtus eſt; Chriſti autem vicarij ſacerdotes (id eſt, epiſcopi) ſunt, qui vice Chriſti legatione funguntut in eccleſia. 5

Clemens quintus: Epiſcopi dicuntur ſanctiſſimi, & Chriſti legati exiſtunt. Clem. 1. §. nec ſuper, de pœnis. 6

Epiſcopi ſunt angeli, & oculi Domini, claues eccleſiæ, atque columnæ.

CAP. III.

1 SACER Dionyſius lib. de eccleſiaſtica hierarchia cap. 7. parte 3. Diuinus Antiſtes, vt ſcripta diuina teſtantur, interpres eſt diuinorum iudiciorũ; angelus enim eſt Domini Dei, rerum omnium præpotentis.

2 Diuus Clemens epiſtola 1. Petrus apoſtolus epiſcopos claues eccleſię, & oculos Domini eſſe dicebat.

3 Pius Papa: Epiſcopi à Deo ſunt iudicandi, qui eos ſibi oculos elegit.

4 Clemens quintus: Epiſcopi ſpirituales ſunt patres, noſtriq́ue fratres, & coepiſcopi columnæ cõprobantur eccleſiæ, Clem. 1. §. nec ſuper. de pœnis.

Epiſcoporum vnus ordo.

CAP. IIII.

1 SANCTVS Anacletus epiſtola 3. Epiſco-

Epiſcoporũ ordo eſt vnus, licet ſint, qui Primates, aut Patriarchæ vocentur.

Idem ibidẽ: Amplius quàm duos ordines, epiſcoporum ſcilicet, & ſacerdotum, nec nobis à Deo collati ſunt, nec apoſtoli docuerunt, epiſcopi autem apoſtolorum presbyteri ſeptuaginta diſcipulorũ locum tenent. 2

Beatus Damaſus in epiſtola de chorepiſcopis: Ordines ſunt duo tantùm primi in eccleſia, id eſt, Apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum. 3

Cyprianus lib. de vnitate eccleſię. Epiſcopatus quidẽ vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. 4

Iſidorus lib. 7. etymologiarum: Epiſcoporum ordo quadripartitus eſt, id eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitis, atque Epiſcopis, ſed omnes epiſcopi nominan- 5

tur, priuato autem nomine quidam vtũtur propter diſtinctionem poteſtatum, quam ſingulariter acceperunt. c.cleros.21.diſtin.

Epiſcopi ſunt veri apoſtolorum ſucceſſores.

CAP. V.

1 SANCTVS Clemens epiſtola 1. Epiſcopos vicem apoſtolorum gerere Dominum docuiſſe diuus Petrus dicebat.

2 Idem confirmat beatus Anterius in epiſt. ad epiſcopos Beticæ.

3 Anacletus Papa epiſt. 2. Apoſtolis decedentibus, in locum eorum ſucceſſerunt epiſcopi.

4 Idem diuus epiſt.3.Epiſcopi apoſtolorum locum tenent.

5 Vrbanus Papa, epiſt. de rerum communione: Epiſcopi locum tenent apoſtolorum.c.vlti.68.diſtin.

Euſe-

Euſebius Papa epiſt. 3. Manus 6
impoſitionis ſacramentum magna
veneratione tenendum eſt: quæ ab
aliis perfici non poteſt, niſi à ſum-
mis ſacerdotibus, neque à tempore
apoſtolorum ab aliis, quàm ab illis,
qui eorum locum tenent, vnquam
perfici poteſt, aut fieri debet.

Beatus Cyprianus ſemel & iterũ 7
ait, epiſcopos eſſe apoſtolorum ſuc-
ceſſores, epiſt. 42. & epiſt. 65.

Diuus Hieronymus epiſtola 54. 8
Apud nos apoſtolorum locum epi-
ſcopi tenent.

Beatus Auguſtinus in Pſalmum 9
45. explicans verba illa, Pro patri-
bus tuis nati ſunt tibi filij, pro apo-
ſtolis conſtitutos eſſe epiſcopos
tradit.

Damaſus in epiſt. de chorepiſco- 10
pis: Solis apoſtolis, eorumque ſuc-
ceſſoribus proprij eſt officij, tradere
Spiritum ſanctum.

11 Sanctus Gregorius in Euangelia, homilia 26. Horum profectò nunc in eccleſia epiſcopi locum tenent: ligandi atque ſoluēdi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.

12 Iſidorus libro 2. de eccleſiaſticis officiis, cap. 5. Apoſtolis ſucceſſerūt epiſcopi, qui ſunt conſtituti per totum mundū in ſedibus apoſtolorū.

13 Beda lib. 3. in Euangelium Lucæ cap. 5. Duodecim apoſtolos epiſcoporum formam exhibere, ſimul & demonſtrare, nemo eſt, qui dubitet.

14 Diuus Thomas in ſecundam ad Corin. cap. 1. lectione 1. Soli apoſtoli electi, & miſſi ſunt principaliter à Chriſto: alij autem diſcipuli non miſſi ſunt principaliter, ſed ſecūdariò, & inde eſt, quòd apoſtolis ſuccedunt epiſcopi, qui habent ſpecialem curam gregis Domini; alij autem ſacerdotes ſuccedunt ſeptua-

ginta duobus diſcipulis,qui gerunt
vices commiſſas ſibi ab epiſcopis.

Demum patres omnes in conci- 15
lio Tridentino declararunt epiſco-
pos in apoſtolorum locum ſucceſ-
ſiſſe, ſeſſione 23.cap.4.

Sed quamuis hæc ita ſint, nō de- 16
ſunt aliqui, tribuentes presbyteris
Cardinalibus octo vncias huius hę-
reditatis: quos iure ac meritò refel-
lit noſter Soto. quia nec iure diui-
no, nec eccleſiaſticis traditionibus,
nec ſanctorum auctoritate, neque
conciliorum,aut pontificum decre-
tis; ea opinio fulciri poteſt. in lib.4.
ſent. diſtin.24.

Epiſcopi ſunt presbyteris ſuperiores.
CAP. VI.

SACER Dionyſius eccleſiaſticę 1
Hierarchiæ, cap.5. Eſt igitur ponti-
ficatus ordo, qui perficiente vi prę-
ditus, munera hierarchiæ, quæ per-

ficiunt, ſecretus à cæteris, ac cum delectu exequitur. & poſt aliqua: Demonſtratum eſt igitur, pontificum quidem ordinem, vim perficiendi habere, ac re perficere: ſacerdotum autem illuſtrãdi vim habere, atque lucem afferre.

2 Sanctus Ignatius epiſtola 6. Principes ſubditi eſtote Cæſari, milites principibus, diaconi presbyteris: presbyteri verò & diaconi, atque omnis elerus ſimul cum omni populo, & militibus, atq; principibus, ſed & Cæſares obediant epiſcopo.

3 Diuus Auguſtinus epiſt. 19. Secundum honorum vocabula, quæ iam eccleſiæ vſus obtinuit, epiſcopatus presbyterio maior eſt.

4 Poſtremò, vt alia omittam, concilij Tridentini hæc ſunt verba: Sacroſancta ſynodus declarat, præter cæteros eccleſiaſticos gradus, epiſcopos, qui in apoſtolorum locum ſucceſ-

ſucceſſerunt, ad hūc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos (ſicut Apoſtolus ait) à Spiritu ſancto regere eccleſiam Dei, eosq; presbyteris ſuperiores eſſe, ac ſacramentum confirmationis conferre, miniſtros eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionū poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullā habent. ſeſſione 23.cap.4.

Epiſcopi ſunt in culmine dignitatum. CAP. VII.

BEATVS Ambroſius libro de 1
dignitate ſacerdotali, cap.2. Honor, & ſublimitas epiſcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares.

Idem cap. 3. Nihil in hoc ſeculo 2
ſubli-

ſublimius epiſcopis reperiri poteſt. & poſt aliqua: nihil eſt epiſcopo excellentius.

3 Euſebius Papa epiſt. 3. Manus impoſitionis ſacramentū, ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus: neque ab aliis, quàm ab illis, qui apoſtolorum locum tenent, perfici poteſt.

4 Sic etiam Rabanus epiſcopos appellat ſummos ſacerdotes. c. nouiſſimè, de conſecrat. diſtin. 5.

5 Melchiades Papa vocat epiſcopos pontifices ſummos. c. de his, de conſecrat. diſtin. 5.

6 Vrbanus Papa epiſtola, de rerum communione: Quòd autem ſedes epiſcoporū in eccleſiis excelſæ conſtitutæ, & præparatæ inueniuntur in throno, ſpeculationem, & poteſtatem iudicandi, & ſoluendi, atque ligandi à Domino ſibi datam materiem docent.

Diuus

Diuus Hieronymus ad Auguſti- 7
num ſanctũ epiſcopum: Tu qui iuuenis es, & in pontificali culmine conſtitutus, doceto populos, & nouis Africæ frugibus Romana tecta locupletato, epiſt. 89.

Epiſcopos eſſe maiores presbyteris omnibus. CAP. VIII.

Ex antè dictis, aliisq; multis per- 1
ſpicuũ eſt, epiſcopos ordine, gradu, ac dignitate presbyteris omnibus eſſe maiores, neque aliquo quæſito colore illis poſtponendos fore.

Id quod non obſcurè colligitur 2
ex Romana ſynodo ſub Syluestro Papa, ſi eam verè Gratianus retulit in c. præſul. 2. quæſt. 4.

Sed & magnus ille presbyter D. 3
Hieronymus hanc prærogatiuam ſemper agnouit: ſepties enim in epiſtolis B. Auguſtinum his verbis ſalutat: Domino verè ſancto, & beatiſſimo

tiſſimo Papæ Auguſtino, Hieronymus in Domino ſalutem.

4 Idem quoque ſentiebat S. Auguſtinus, cùm ad eaſdem epiſtolas reſcribens, hac ſalutatione vſus eſt: Domino dilectiſſimo, & in Chriſti viſceribus honorãdo ſancto fratri, & compresbytero Hieronymo, Auguſtinus in Domino ſalutem.

5 Non erat adulator diuus Hieronymus, neque ſuperbus aut inciuilis ſanctus Auguſtinus, ſed vterque ſuum ordinem agnoſcebat: itaque idem Hieronymus eidem Auguſtino ſcribit: Vale mi amice chariſſimè ætate fili, dignitate parens, epiſtola 92.

6 Ad hæc in cõciliis Romanis epiſcopi fuere prælati presbyteris etiã principalibus, & habentibus titulos in vrbe, vt videre eſt in concilio primo Romano temporibus Hilarij Papæ: & in aliis tribus conciliis

Romæ

Romę celebratis, in concilio ſecundo, & in aliis duobus ſub diuo Gregorio, & ſub Gregorio ſecundo, vbi presbyteri poſt epiſcopos nominati ſunt, & ſubſcripſerunt.

Poſtremò in concilio Lateranenſi ſub Innocẽtio tertio archiepiſcopi, & epiſcopi præferuntur presbyteris principalibus, idq́ue inter epiſtolas decretales, vt lex eccleſiæ cõtinetur. c. cùm Apoſtolus, de cenſib. 7

Quibus ſalutationibus pontifices ſummi ad epiſcopos ſcribebant. CAP. IX.

REVERENDISSIMO fratri, & coepiſcopo Aurelio Damaſus. 1

Reuerendiſſimis, atque dilectiſſimis fratribus Athanaſio, & vniuerſis Ægyptiorum epiſcopis, Fœlix 2. in Domino ſalutem. 2

Dominis ſanctiſſimis, & Deo amantiſsimis vniuerſis epiſcopis, Liberius epiſcopus in Domino ſalutẽ. 3

Reue-

4 Reuerendiſſimo fratri Valerio epiſcopo. Ioannes 2. epiſt.1.

5 Reuerendiſſimo fratri epiſcopo Dauid, Benedictus 1. in Domino ſalutem.

6 D. Gregorius epiſtola ad noſtrũ Leandrũ in prȩfatione moraliũ Reuerendiſsimũ & ſanctiſsimum fratrem & coepiſcopum eum vocat.

7 Idem diuus ſanctiſsimo fratri Secundino epiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

8 Idem, Reuerẽdiſsimos fratres, & coepiſcopos noſtros. lib.2.epiſt.39.

9 Idem, Sanctiſsimo fratri meo, eodem lib.epiſt.91.

10 Idem vir Reuerendiſsimus Paſſiuus frater, & coepiſcopus noſter, lib.7.epiſt.13.

11 Idem, Reuerẽdiſsimo fratri Fœlici epiſcopo, lib.12.epiſt.31.

12 Gregorius 2. epiſtola 2. Gregorius ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis reue-

reuerēdiſsimis fratrib⁹ coepiſcopis.

Idem in duabus epiſtolis, Reue- 13
rēdiſsimo,& ſanctiſsimo fratri Bo-
nifacio coepiſcopo.

Gregorius tertius aliis duabus 14
epiſtolis: Reuerēdiſsimo,& ſanctiſ-
ſimo fratri Bonifacio coepiſcopo,
Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

Zacharias quatuor epiſtolis, Re- 15
uerendiſsimo & ſanctiſsimo Boni-
facio.

Idem alibi, Zacharias epiſcopus 16
ſeruus ſeruorum Dei, reuerendiſsi-
mo, ſacratiſsimo Theodoro epiſco-
po eccleſiæ Ticinenſis, in c. Pycta-
cium. 30.quæſt.3.

Quam aliis verbis honorant diaconos, & presbyteros etiam Cardinales.

CAP. X.

NICOLAVS Primus, epiſtola ad 1
Michaelem imperatorem: Sciat ſe-
renitas veſtra, miſſos ſibi à pręſulatu

noſtro deſtinatos, Donatũ reuerendiſsimum, & ſanctiſsimum ſanctæ eccleſiæ Hoſtienſis epiſcopum: & religioſos, ac venerabiles ſanctæ Romanę eccleſię, Leonem, tituli Chriſti martyris Laurentij, qui appellatur, Damaſi presbyterũ, atque Marinum apoſtolicæ noſtræ ſedis diaconum, & eadem repetit in epiſtola ad Bardam Cæſarem.

2 Clemens 3. dilecto filio noſtro Ioanni presbytero Cardinali. c. ſanè, de renunciat.

3 Innocentius 3. dilecto filio, titulo ſanctæ Prudẽtianæ presbytero Cardinali. c. coram, de electione.

4 Idem ſæpe alibi repetit, c. in præſent. de probat. c. dilecto. de prębend. c. dilecto, de ſupplen. negli. prælat.

5 Honorius 3. dilectus filius noſter tituli ſanctæ crucis presbyter Cardinalis. c. licet de teſtib.

6 Innocentius 4. magnæ auctoritatis

tatis

tatis viros, videlicet, venerabiles fratres P. Alba. & Hu. Sabinen. & dilectum filium Guillelmum, Baſilicæ duodecim apoſtolorum preſbyterum Cardinalem duximus deſtinandos. c. ad apoſtolicæ, de ſent. & re iudi.

Demum ille Barbatia, qui parum tribuit, ingenuè fatetur, & inquit: Quandò Papa loquitur de Cardinalibus permixtim, quia inter eos ſunt aliqui epiſcopi, tunc appellat eos fratres propter epiſcopos Cardinales. Nam denominatio fit à nobiliori, in tracta. de præſtan. Cardina. nu.32. 7

Quanto honore afficiebant epiſcopos pontifices ſummi. CAP. XI.

DIVVS Gregorius epiſcopo Tonello: In noſtra mente veſtra magnitudo, & cætera, lib.7.epiſt.77. 1

Idem diuus, Deſiderio epiſcopo Gal- 2

Galliæ: Cùm inter multa bona, quę nobis de magnitudine veſtra. lib. 12.cap.5.

3 Idem, Gregorio epiſcopo Italiæ: Bonitatem veſtræ excellentiæ, lib. 1.epiſt.22.

4 Idem, vniuerſis epiſcopis per Italiam: Excellentiam veſtram valde diligo, lib.2.cap.67.

5 Idem, Pantaleoni epiſcopo Africæ: Excellentiæ veſtræ non habetur incognitum, lib.3.epiſt.32.

6 Idem Venantio epiſcopo patricio: Excellentiæ veſtræ electionem, lib.11.epiſt.14.

7 Euariſtus epiſt. 1. Dilectiſſimis fratribus vniuerſis epiſcopis, filij chariſsimi, & meritò illuſtres.

8 Diuus Gregorius quatuordecim epiſtolis epiſcopis loquens, inquit: Sanctitas veſtra, Anaſtaſio epiſcopo Antiocheno: Suſcepi epiſtolas dulciſſimæ mihi, atque ſuauiſſimæ ſancti-

ſanctitatis veſtrę, epiſt. 81. lib, quar-
ti. & epiſt. 37. lib. 3. epiſt. 90. lib. 4.
epiſt. 119. lib. 5. & 136.

Idē diuus, Dono epiſcopo Meſ- 9
ſanenſi: Ideo ſanctitas veſtra. lib. 5.
epiſt. 139. & epiſt. 160. & lib. 6. epiſt.
172. & epiſt. 178. & epiſt. 188.

Idem Eulogio epiſcopo Alexan- 10
drino: Suauiſſima mihi ſanctitas
veſtra. & ad alios epiſcopos lib. 6.
epiſt. 201. lib. 7. epiſt. 30. & epiſt. 32.
& eodem lib. parte 2. epiſt. 7.

Damaſus & cæteri epiſcopi Ro- 11
mæ congregati, dilectiſsimis fratri-
bus in Illyrio cōſtitutis epiſcopis, in
Domino ſalutē: Credimus ſancti-
tatem veſtram: quadam in epiſt.

Innocentius ad Synodum Mile- 12
uitanā: Multis vti poſſemus exem-
plis; niſi ſciremus ſanctitatē veſtrā
ad plenum ſcripturas omnes ſcire.

Beatus Gregori⁹ Sebaſtiano epi- 13
ſcopo Riſinienſi: Quamuis nulla

merui beatitudinis veſtræ ſcripta ſuſcipere, lib.1. epiſt.27. & ad alios epiſt.4. epiſt.7. epiſt.25. eiuſdē libri.

14 Idem Ioanni epiſcopo Rauennæ: Quod ſcriptis veſtræ beatitudinis minimè reſpondi, lib. 2.epiſt.32. & ad alios epiſcopos, lib. 6. epiſt. 192. & lib.7. epiſt.3.

15 Idem, Eulogio epiſcopo Alexandrino: Sanctiſsima veſtra beatitudo, lib. 7. epiſt.29.

16 Damaſus ad epiſcopos Africanos: Apoſtolicis veſtra beatitudo viſceribus cōmota nos hortata eſt.

17 Nicolaus 2. in ſexta ſynodo Romana dixit: Nouit beatitudo veſtra dilectiſsimi fratres, & coepiſcopi. c. in nomine.23. diſtin.

18 Vides vt ſummi pontifices non adulantes, ſed epiſcopalem dignitatem iuſtè honorantes, epiſcopis ſcripſerint reuerendiſsimos, ac ſanctiſsimos ſæpius eos nominantes:

vtque

vtque adiecerint magnitudo veſtra, excellentia veſtra, ſanctitas veſtra, beatitudo veſtra; quæ omnia ad honorem ipſorummet non parū faciebant, cùm & ipſi ſummi pontifices epiſcopi ſint, & epiſcoporū, atque adeò eccleſiæ militantis caput.

Epiſcoporum auctoritatem ſemper fuiſſe maximam. CAP. XII.

DIVVS Clemens epiſtola 1. ad Iacobum fratrem Domini: Omnes, inquit, principes, & cunctos homines, epiſcopis obedire, & capita ſua ſubmittere diuus Petrus præcipiebat. c. omnes, de maio. & obedi. 1

Beatus Ignatius epiſt. 6. præcipit, vt presbyteri, & diaconi, & omnis clerus, & populus, & milites, & principes, & Cæſar ipſe obediant epiſcopo. 2

Idem diuus epiſt. 7. Ego dico, honorate Deum auctorem omniū, & 3

Dominum: epiſcopum autem tanquam principem ſacerdotum, imaginē Dei ferentem: principatū quidem ſecūdum Deum, ſacerdotium verò ſecundū Chriſtum: poſt hunc honorare oportet etiam regem.

4 Quid memorē peruagatā illam hiſtoriam Theodoſij noſtri cū beato Ambroſio? quid Theodoſium alterum? quid Iuſtiniani conſtitutionem, de ſanctiſsimis epiſcopis? quid reliquos principes orthodoxos? qui quo magis fuere catholici, eò magis epiſcopos honorificarunt, & reges noſtri verè catholici hodie quoque epiſcopos in honore habent, & conſiliarios ſuos eos eſſe volunt, & eos reuerēdos in Chriſto patres appellant, quin etiam archiepiſcopos ad regulorum inſtar honorant, & eodē quo Cardinales titulo dignantur: ad vtroſque enim ſcribunt: Admodū reuerendis in Chriſto patribus,

bus, & olim maximam eis reuerentiam exhibuerunt, vt ex conciliis Toletanis ſatis conſtat.

Sed illud ſancti Gregorij prætetire non poſſum, quod in ea epiſtola, quæ eſt ad Mauricium Auguſtũ, ſcripſit his verbis: Quid ergo mirũ, ſi illos veſtra pietas dignatur honorare, quibus in ſuo eloquio honorẽ tribuens, eos aut angelos, aut deos, ipſe etiam appellat Deus? Eccleſiaſtica quoque teſtatur hiſtoria: quia cùm piæ memoriæ Conſtantino principi in ſcripto oblatę accuſationes contra epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerãt, epiſcopos conuocans, in eorũ conſpectu libellos, quos acceperat, incendit dicens, Vos dij eſtis, à vero Deo cõſtituti, ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite: quia dignum nõ eſt, vt nos iudicemus deos. hæc ille.

6 Antonius de Pretis, tractatu de iuriſdictione epiſcoporũ, cap.6. inquit: Epiſcoporum dignitas, & gradus in primitiua eccleſia maior omnibus fuit, & à iure diuino originẽ habuit, licet temporum viciſsitudine nunc videatur aliquantulum depreſſa: ſed cauſam huius depreſſionis ignoro: Deus ſcit, ego verò cauſam eſſe dixerim, quia religio refrixit, & quia propter multitudinem & paupertatem epiſcoporum (ne quid durius dicam) carnales homines eos iam deſpiciunt.

7 Tum illud addo: non ſolùm in primitiua eccleſia, ſed multò etiam pòſt, viguiſſe epiſcoporum auctoritatem, vt ex ſuprà ſcriptis non obſcurè colliges. & Innocentius tertius, præterea inquit, Reges, & principes archiepiſcopis, & epiſcopis ſuis (ſicut debent) reuerenter adſurgunt, & eis iuxta ſe venerabilem

ſedem

ſedem aſſignant. c. ſolitæ, de maiori. & obedien.

Et Clemens quintus inquit: Epiſcopi dicuntur ſanctiſſimi: Chriſti legati exiſtunt: ſpirituales ſunt patres, noſtrique fratres & coepiſcopi columnæ comprobantur eccleſiæ. Clem.1.§.nec ſuper.de pœnis. 8

Quàm ſit iniquum epiſcopos ſpernere.
CAP. XIII.

1 DIVVS Clemens Papa epiſtola 3. ſcribit: Siue honor, ſiue iniuria epiſcopo deferatur, in Chriſtũ redundat, cuius locum tenet.

2 S. Anacletus Papa, epiſt.2. Apoſtolis decedentibus, in locum eorũ ſucceſſerunt epiſcopi; quos qui recipit, & verba eorũ, Deum recipit: qui autem eos ſpernit, eum à quo miſſi ſunt, & cuius funguntur legatione, ſpernit, & ipſe indubitanter ſpernetur à Domino.

3 Patres in cōcilio Tridentino: Nō poteſt ſancta Synodus non grauiter dolere, audiens epiſcopos aliquos ſui ſtatus oblitos, pontificū dignitatem non leuiter dehoneſtare: qui cum regū miniſtris, regulis, & baronibus in eccleſia, & extra, indecenti quadam demiſſione ſe gerunt, & veluti inferiores miniſtri altaris nimis indignè, non ſolùm loco cedunt, ſed etiàm perſonaliter illis inſeruiunt: quare hæc & ſimilia deteſtans ſancta Synodus, ſacros canones omnes, conciliaq; generalia, atq; alias apoſtolicas ſanctiones ad dignitatis epiſcopalis decorem, & grauitatem pertinentes renouando præcipit, vt ab huiuſmodi in poſterum epiſcopi ſe abſtineant, mandās eiſdem, vt tam in eccleſia, quàm foris ſuum gradum, & ordinem præ oculis habentes, vbique ſe patres, & paſtores eſſe meminerint: reliquis

verò

verò tam principibus, quàm cęteris omnibus, vt eos paterno honore, ac debita reuerentia proſequantur. ſeſſione 25. cap. 17.

Beatus Ignatius D. Ioannis Euãgeliſtæ diſcipulus, epiſt. 3. inquit: Si vobis epiſcopi, non obedierint omnes clerici, omneſque principes, atque reliqui populi, non ſolùm infames, ſed etiam extorres à Regno Dei, & conſortio fidelium, ac à limitibus ſanctæ Dei eccleſiæ alieni erunt: eorum enim eſt vobis obedire, vt Deo, cuius legatione fungimini. c. ſi autem. 11. quæſt. 3. 4

Ad ſummã, qui epiſcopos ſpernit, legatos Chriſti & eius locũ tenẽtes ſpernit: oculos Dñi, claues, & colũnas eccleſię ſpernit, veros apoſtolorũ ſucceſſores ſpernit, angelos, atque Deos ſpernit: poſtremò, hierarchiam eccleſiaſticã ſubuertit, atque in eis Chriſtum Dominum ſpernit. 5

FINIS.

IVDICIVM BENEDICTI
Ariæ Montani Regij librorum cenſoris apud Belgas.

HVNC librum qui Violatæ religionis iudicum enchiridion inſcribitur, à R^{mo} epiſcopo Pacenſi iam bis editum, & nũc tertiò recognitum & auctum, à me perlectum, vtilem valde eſſe cenſeo ad totius argumenti ſuſcepti cognitionem & praxim, nihilq́ue continere quod catholicam offendat fidem, atteſtor, ideoq́ue dignum iudico, vt ad multorum vtilitatem tertiò ac ſæpius etiam edatur. Idem etiam affirmo de duobus illi adiunctis opuſculis, altero annotationum in Zanchinum, altero inſcripto De dignitate epiſcoporum. Datum Romæ, pridie feſti S. Iacobi. 1572.

B. Arias Montanus.